

**De morborum temporibus eorumque diversa indicatione et prognosi /  
[Johann Karl Boecking].**

**Contributors**

Boecking, Johann Karl.  
Büchner, Andreas Elias, 1701-1769.  
Universität Halle-Wittenberg.

**Publication/Creation**

Halle : Hendel, 1757.

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/v5ewd46p>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>



5

DE  
MORBORVM TEMPORIBVS  
EORVMQVE  
DIVERSA INDICATIONE  
ET PROGNOSI

---

SVB AVSPICIIS SVMMI NVMINIS  
ET  
CONSENSV GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE  
P R A E S I D E  
VIRO ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO  
D. ANDREA ELIA BÜCHNERO  
SACRI ROMANI IMPERII NOBILI,  
POTENTISSIMO PRVSSIAE REGI A CONSILIIS INTIMIS,  
MEDICINAE ET PHILOSOPHIAE NATVRALIS PROFESS. PVBL. ORDINARIO,  
IMPERIALIS ACADEM. NATVR. CVRIOSOR. PRAESIDE  
ET COMITE PALAT. CAESAREO,

PRO GRADV DOCTORIS  
SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS AC PRIVILEGIIS  
DOCTORALIBVS RITE CONSEQVENDIS

AD D. V. APRILIS, A. S. R. CLOCCCLVII.

IN ALMA REGIA FRIDERICIANA

PVBLICE DISSERET

AVCTOR

IOANNES CAROLVS BOECKING

TRARBACO-MOSELLANVS.

---

HALAE MAGDEBVRG. LITTERIS HENDELIANIS.









DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA  
DE  
MORBORVM TEMPORIBVS  
EORVMQVE  
DIVERSA INDICATIONE ET PROGNOSI.

---

PROOEMIUM.



Inter notissima illa & commemoratione omnino digna apophthegmata, quae ad septem olim celebratissimos Graeciae sapientes referri solent, illud omnium maxime ad Medicos pertinere videtur, cuius PITTACVM ferunt auctorem. Hic enim, *tempus cognosce!* effatus, id inprimis mone- re atque praecipere voluit, vt omnes homines tota mente omnique animi impetu atque contentionem in hoc ferantur, ne in singulis, quas moliuntur, qualibuscunque actionibus, nisi alioqui exoptato excidere velint euentu, maturam occasionem iustamque temporis dimit- tant opportunitatem. Atque profecto, si qua



vnquam res est, quae diligentissimam Medicorum meretur attentionem, illorumque animis infixæ esse debet, certe hoc nomine commendanda est *accurata temporis circumspexio*. Ea enim est in hoc vniuerso terrarum orbe omnium rerum naturalium a sapientissimo opifice stabilita conditio atque perpetua dispositio, vt omnes singulaeque, certa serie, stasisque temporis vicissitudinibus, suum capiant ortum, incrementum, summum vigorem, decrementum, finemque. Atqui idem temporis ordo praestitutus est homini, admirando illi infinitae sapientiae potentiaeque diuinae opificio: cuius qualescunque vicissitudines & mutationes in definitis quibusdam temporis punctis positaе deprehenduntur. Siquidem, si a prima velut origine omnia repetamus, hominis conceptioni, & formationi, & morae, qua in vtero consistit, sua data sunt tempora. Tum & temporis praefinita est maturitas, quo foetus, vtero inclusus, se mouere incipit, quo, ad eum perfectionis gradum progressus, vt extra vterum luce frui possit, exitum molitur, & idoneo tempore in lucem prodit. Porro, si nutritionem corporis nostri spectes, eandem, a primo conceptionis momento



mento inchoatam, per omne vitae tempus, diuerfa tantummodo ratione, protrahi animaduertes. Varia item, sed certa atque definita incrementi corporis, quod & magnitudinem & pondus ipsius auget, est ratio: quippe hoc exorsum a prima conceptione incrementum in feminis ad annum vsque duodeuicesimum, in masculis vero ad vicesimum primum aut, vt nonnullis accidere solet, ad vicesimum quartum perdurat; quo tempore adolescendis corporibus humanis modus est positus, vt a concipienda ampliori longitudine prorsus desistant. Haec autem corporis humani mutatio stricto nomine *corporis incrementum* dicitur, & constanter in ratione, quam vocant, decrescente contingit. Exacto vero anno vicesimo quarto nemo hominum ampliorem adquiret longitudinem, sed vel eundem corporis habitum perpetuo conseruat, vel crassitiei tantum ratione crescit. Quae corporis constitutio ad annum circiter quinquagesimum, in paucis ad sexagesimum, immutabilis perdurat, & singulare *status* meruit nomen. Posteaquam vero quinquaginta quinque aut sexaginta ad summum praeterlapsi sunt anni, quid? quod in nonnullis citius, cutis fit rugosa, barba



atque capilli canescunt, sensus viresque imminuuntur, fibrae, membranae, arteriaeque, antea molles flexilesque, sensim rigidae evadunt, & haud raro osseam duritiem nanciscuntur. Qui status *decrementi* nomine a Medicis insignitur, tandemque vitae humanae finem imponit. Atque hae sunt generales istae mutationes, quas per omnem, dum vivit, aetatem corpus subit humanum.

Verum enim vero longe minoris momenti eadem videntur, si cum iis conferantur mutationibus, quae in homine viuo sanoque semet inuicem continuo excipiunt, & intra certos temporis limites absoluuntur. Masticatio, deglutitio, digestio, chylicatio, chyli ad sanguinem transmissio & in sanguinem mutatio, sanguinis circuitus, respiratio, & quae supersunt, omnes secretiones & excretiones, motus voluntarii automaticique, omnes sensationes, ceteraeque actiones animales, tempore succedunt certo definitoque. Si porro ad dentes, ad catamenia, ad haemorrhoides respicias, singulares illis praestitutas animadvertes temporis periodos, quibus & erumpunt, & durant, & demum cessant. Neque minus generandi facultas, quae hominibus, vita cetero-



teroqui & fanitate fruentibus, a natura insita est, certo tantum temporis tractu velut euoluitur, viget, iterumque supprimitur atque enervatur. Temperamentorum denique multiplices vicissitudines atque conuersiones ad temporis rationem componuntur.

Haud aliter vero cum ipsis comparatum est *morbis*: quippe qui certo tempore homines inuadunt & recurrunt, definitumque temporis interuallum emensi, in diuersas *initii, incrementi, status & decrementi* periodos dispescuntur; quae singulae denuo intra certum temporis tractum incipiunt, aliquamdiu perdurant, & saepenumero paroxysmos formant, per singulare interiectum temporis spatium accedentes, vigentes, desinentes, iterumque recurrentes. Hinc etiam felix optabilisque curandorum morborum successus maxima ex parte a sollicita temporis, quo varia remedia adhiberi debent, obseruatione dependet. Saepe quoque numero accidit, vt temporis momento hominis vita innitatur: quo neglecto haec, nulla arte reparabilis, in perpetuum perditur. Eadem ratione, nisi tempori seruias, vel optimum commodissimumque medicamentum alio tempore proderit, vitamque ab  
interi-



interitu vindicabit, alio vero vitae non solum periculum minabitur, sed ipsam quoque inferet mortem: adeo ut vnum idemque remedium mox veri remedii, mox autem veneni nomen mereatur. Facilis mihi futurum esset negotii, ingenti exemplorum, haec luculentissime adfirmantium, copia verbis fidem facere meis, si mihi inpraesentiarum liceret nimis esse longo. Satis interim erunt haec disputata, quae demonstrent, quantum ad cognoscendos curandosque morbos intersit, accurata temporis inseruire circumspeditione. Operae itaque pretium facturus mihi videor, si inaugurali hoc specimine, pro ingenii mei viribus, exponere instituiam, quam, qualem, quantamue morbi a *tempore* eiusque *diuersitate* adquirant differentiam, quatenus sint diuersa morborum tempora, & in quonam consistant, & quae denique indicent declarentque, tum, si ad praesentem futurumque aegrotantis & morbi statum respicias, tum, si ad ea, quae agi omittique debent, & ad exitum attendas morborum. Faxit supremum Numen, ut qualescunque hi nostri conatus feliciter succedant, & in ipsius gloriam, artisque medicae quantulumcunque absoluantur emolumentum.





§. I.



Quam varia, quam incerta, quam-  
que instabilis nomini *temporis*  
*morborum* inhaereat notio, nul-  
li profecto obscurum fore exi-  
stimamus, qui varios Scriptores  
medicos, quorum de morbo-  
rum temporibus commentatio-  
nes foras datae exstant, aditurus est lecturusque.  
Quippe huius nominis vaga atque anceps, mox la-  
tior ampliorque, mox pressior angustiorque, esse  
solet potestas. Verum enim vero apud plurimos  
Medicos, quibuscum & nos in praesenti facimus,  
princeps huius vocis significatio deprehenditur ea,  
quae uniuersum morbi ambitum seu durationem  
complectitur, & alias quoque *morbi periodus* appel-  
latur. Constanti autem obseruatione edocti sunt  
Medici, cuiuslibet morbi durationem vel intra qua-

*Quid intel-  
ligatur per  
tempus  
morbi &  
quid sit  
morbus  
brevis &  
longus, seu  
chronicus  
& acutus?*



draginta dies definiri, vel protrahi ultra: prius illud morborum genus *breues*, hoc posterius *longos* seu *chronicos* comprehendit. Durationis ergo ratione morbos aut breues, aut longos esse oportet. At vero breues isti vel aliquid, vel nihil periculi habent coniunctum: e quibus priores singulare *acutorum* adepti sunt nomen, & vel febre comitati, vel sine eadem accedunt. Equidem aliam ab aliis passim morborum acutorum definitionem dari nouimus, qui eundem merito dici oportere morbum acutum existimant, cuius solutio naturaliter, hoc est, sine vlllo quoque remedio adhibito, semper intra statutum quoddam tempus contingit: sed, quo minus ad hanc accedamus sententiam, facit inprimis, quod eandem, vt Logici loquuntur, definito suo latiore minusque determinatam aestimamus. Quandoquidem, si quid recte iudicamus, eadem definitione non acuti solum morbi, sed etiam chronici comprehenduntur; qui tamen non modo non inter se conueniunt, sed maxime quoque contrarii sunt atque disiuncti. Quam minime autem in hac, quam nunc vitii cuiusdam accusauimus, definitione acquiescendum sit nobis, vel exinde cognosci potest, quod morbi chronici aequae, ac acuti, naturaliter intra statutum quoddam tempus soluuntur, & priorum istorum, licet acutos durationis diuturnitate superantium, tempus, quam longum etiam sit atque protractum, certis tamen limitibus coercetur. Neque est, cur acutos morbos ista definitione recte declarari existimes, quod naturaliter intra certum quoddam  
tempus



tempus solui dicuntur: siquidem omnium morborum, cuiuscunque sint generis, solutio naturaliter statim temporibus contingit, adeoque hinc morborum chronicorum & acutorum notiones facillime confundi possunt. Denique nec vlla termini facta est mentio, quo statutum hoc atque definitum tempus circumscribi oportet: qua tamen definitione vel maxime opus est, vt sciatur, vtrum morbus quidam, prout ipsius solutio definito isto termino accidit, vel eundem excedit, acutorum chronicorumue classi inferendus sit, nec ne?

§. II.

Duo igitur, si nostram conferas definitionem (§.I.), ad acutum requiruntur morbum; primo vt brevis sit morbus, & tum quoque cum vitae periculo coniunctus. Vnde sequitur, quoniam breui morbo extremi quadraginta dierum limites sunt praefiniti (§.cit.), vt quilibet morbus in acutorum ordinem sit referendus, qui non quadraginta dierum spatium excedit, simulque vitam aegrotantium in discrimen periculumque adducit. Ex quo etiam intelligi potest, non cuius breui morbo acutam adiudicari debere indolem, nisi cum durationis breuitate vitae quoque difficultates habeat coniunctas. Cui adsertae sententiae facile ingenti exemplorum copia fidem facere possemus, si per instituti nostri rationem, praescriptosque dissertationis limites nobis longioribus esse liceret. Instar omnium vero in exemplum excitabimus febrem ephemeram seu diariam, quae viginti quatuor horarum

*Definitio  
morbi acuti  
amplius  
euoluta.*



spatio decursum absoluit suum, adeoque omnino brevis dicendus est morbus (§. cit.), a Medicorum vero nemine acutorum classi insertur *a*). Aequis ergo passibus a vero longius absunt ii, qui qualicumque morbo, si tantummodo aut brevis fuerit, aut periculosus, acuti nomen protinus induunt. Praeter haec denique aliquod inter acutos morbos interest discrimen, si vel careant febre, vel cum eadem sint complicati (§. cit.). Ad acutas sine febre affectiones pertinent, verbi causa, apoplexia, syncope, & catarrhi suffocativi.

### §. III.

*Quousque morbi brevis terminus sit extendendus?*

Quod autem in definiendo morbo brevi statutum ipsius tempus non ultra quadraginta protraximus dies (§. I.), eo imprimis consilio factum est, ne sine necessitate a consueto inter Medicos discederemus usu, *quem penes arbitrium est, & ius, & norma loquendi b*). Medicorum enim veterum plerique, si ab HIPPOCRATE & quibusdam aliis discesseris, illi morbo, qui non quadraginta dierum spatium transgreditur, brevis nomen indiderunt. At HIPPOCRATES acutorum morborum, quippe brevium (§. I. II.), limites ad sexaginta dies passim in

*a*) Scilicet haec omnia de febre ephemera simplici dicta sunt. Sed occurrunt quoque interdum eiusdem typi febres malignae maximoque cum vitae discrimine coniunctae, v. e. febris sudatoria Anglica; quae hanc etiam ob causam acutis adnumerantur.

*b*) HORATIVS in *Arte poetica*.



in scriptis suis producit: *Ex acutis*, dicens c), *quidam tricesimo, dein quadragesimo, postea sexagesimo iudicantur; quum vero hos numeros excesserint, diuturna iam euadit febrium constitutio.* Quocum si quis facere, morborumque breuium terminos ad sexaginta dies protrahere velit, ipsi non temere intendemus litem. Difficilius autem cum iis conueniemus, qui arctiori viginti vel viginti vnus dierum limite breues acutosque morbos circumscribunt.

§. IV.

Quum, experientia teste, non omnes febres ex morborum breuium sint numero, vel, si sint breues, neutiquam tamen vitae alant periculum; ex breuium vero morborum genere illi tantum, qui periculosi sunt, acutorum adipiscantur nomen (§. I. II.): ex hoc liquido apparet, non omnes febres esse acutas seu morbos acutos. Sed ipsa haec acuta febrium periodus, prout tardius citiusue terminatur, hoc febrium genus in nouas quasdam species partitur. Quippe, quae tertio aut quarto die desinunt, *acutissimae*; quae septimo cessant die, *peracutae*; & quae vndecimo, decimo quarto, vicesimo, vicesimo primo, vel, si degenerauerint, quadragesimo die finiuntur, strictiori vocabulo *acutae* appellantur. Sed haud alienum ab instituto nostro videtur, paucis quoque GALENI d) & plerorumque post

*Morborum  
acutorum  
diuisio.*

B 3

eum

e) In *Prognosticis & de diebus criticis*, p. 376. Edit. *Charterian*. Tom. VIII.

d) Videfis *de diebus decretoriis* Lib. II. Cap. XII. pag. 489. Tom. VIII. Edit. *Charter*.



eum auctorum medicorum de acutarum febrium periodo explicare doctrinam. Hic nimirum eminentissimus litterarum medicarum auctor diem vicesimum primum acutis febribus extremum constituit terminum, easque febres simplici nomine *acutas* vocauit, quae intra viginti aut viginti vnum dies finiuntur. At enim vero quum ex his quaedam ante vicesimum primum diem, mox propiori, mox remotiori ab eodem interuallo, desinant, noua easdem distinxit diuisione, illasque febres acutas, quae ad septimum vsque diem extenduntur, nec tamen eum superant, *peracutas* appellauit, hasque denuo in *peracutas* diuisit *exacte tales*, quae quartum diem non supergrediuntur, & in *peracutas non exacte tales*, quae ad septimum vsque diem protrahuntur. Illas porro acutas febres, quae septimum superant diem vel ultra septem durant dies, si modo viginti & vnum dies non excederent, simpliciter acutas dixit, hasque iterum in *exacte peracutas*, quae ultra decimum quartum diem non durant, & non *exacte peracutas*, quae ad vicesimum vsque diem persistunt, subsseciua distinxit diuisione. Quoniam vero saepius contingit, vt febres acutae intra viginti dierum spatium non solvantur, sed illud excedant, & simili modo, cum iisdem symptomatibus coniunctae, ad vicesimum secundum vel tertium, imo quadragesimum diem durent, GALENO & veteribus Medicis minus commodum fuit visum, eiusmodi febres, quae paulo ante acutae nominatae erant, appellare longas. Quam ob rem eiusmodi febres acutas, quae ad diem extenduntur



tur quadragesimum, non simpliciter, sed ex decidentia, quam dicebant, acutas appellarunt; quoniam consuetos acutarum febrium superauerant fines.

§. V.

Verum enim vero praeter eam, qua supra tempus morbi designauimus (§. I.), notionem, alia saepenumero eidem voci tribui solet significatio: quae pars periodi, quae morbos circumscribit, denotatur. Quo nomine initium morbi *tempus inuasionis*, incrementum vero, status & declinatio, seu decrementum, *tempus durationis* audit. Deinde quoque temporis morbi vocabulo comprehenditur haud raro ea pars morbi, cui vulgo *paroxysmi* nomen est: quippe qui morbi pars est, a qua aeger grauius, quam reliquo tempore, affligitur. Atqui hoc etiam paroxysmi tempus itidem in initium, incrementum, statum & decrementum diuiditur. Sumitur denique tempus morbi pro *modo durationis* eiusdem: cuius intuitu morbi diuiduntur in continuos, remittentes, atque intermittentes. Continuos scilicet morbos vocamus istos, qui non nisi vnicum initium, incrementum, statum & decrementum habent, seu vnico tantum finiuntur paroxysmo. Nonnulli febres, tali modo decurrentes, continentes appellant. Remittentes vere morbi appellantur isti, qui continuo quidem, sed modo grauius, modo leuius, aegrum affligunt. Intermittentes denique morbi sunt isti, qui non continuo aegrum infestant, sed postquam horum symptomata per certum quoddam tempus durarunt, nulla dein itidem

*Quid ulterius per tempus morbi intelligatur, & quid sint morbi continui, remittentes & intermittentes?*

stato



stato quodam temporis interuallo exhibent symptomata, postea vero denuo symptomata excitant, quae, dum iterum per certum durarunt tempus, cessant, & sic decursum suum absoluunt.

## §. VI.

*Morbi continui & intermittentes habent paroxysmos.*

Quum morbi continui continuo quidem durent, sed modo grauius, modo leuius aegrum affligant (§. V.), ex partibus constant, quae vehementius, quam reliquo morbi tempore, aegrum infestant. Quoniam vero ea pars morbi, quae vehementius, quam reliquo morbi tempore, aegrum affligit, paroxysmus dicitur (§. *citat.*): apparet hinc, morbos continuos & habere paroxysmos, & agere per eosdem. Atqui eadem quoque demonstratione intermittentibus morbis paroxysmi vindicari possunt. Quare tam continuos, quam intermittentes morbos tanquam totum quoddam considerari oportet, quod, velut partes, suos habet paroxysmos.

## §. VII.

*Quid sit exacerbatio, remissio, & intermissio morbi?*

Si symptomata morbi sunt grauiora, morbus exacerbari, & hic ipse morbi status exacerbatio morbi dicitur. Contra ea vero si symptomata morbi sunt mitiora, morbum remittere Medici dicunt, hancque morbi conditionem remissionis nomine complectuntur. Intermissionem denique vocant, si morbus intermittit, hoc est, si omnia eiusdem symptomata cessant.

## §. VIII.

*Morbi con-*

Morbis continuis symptomata, modo mitiora, modo



modo grauiora, alterna accidunt acceſſione. Proinde, quoniam morbus, ſi leuioribus adſcit ſymptomatibus, remittere, ſi contra grauioribus infeſtat, exacerbari dicitur (§.VII.), neceſſaria conficitur conſecutione, vt continui morbi ſuas habeant exacerbationes remiſſionesque. Quum vero eorum ſymptomata non plane ceſſent, eiſmodi autem morbi ſtatus, quo ſymptomata prorſus ceſſant, intermiſſio vocetur (§.cit.), in morbis continuis nullum intermiſſioni eſſe locum, ex his conſtat. E contrario morbi intermittentes ſuas habent intermiſſiones, quia in iis ſymptomata plane conquieſcunt (§.cit.).

§. IX.

In morbis intermittentibus interualla, paroxysmis interiecta, vel aequali, vel inaequali tempore conſtant. Quodſi prius acciderit, morbi intermittentes ſunt ordinati, ſi vero poſterius, inordinati. Morbi igitur intermittentes ſunt vel ordinati, vel inordinati.

§. X.

Si temporis interualla, quae paroxysmis in morbis intermittentibus interſunt, inaequali ſunt tractu, vel minora, vel maiora praecedente inter paroxysmos interuallo eſſe oportet. In priori caſu morbi intermittentes ſeu eorum paroxysmi antepo-  
nere, in poſteriori vero poſtponere dicuntur. Morbi itaque intermittentes inordinati (§.IX.) ſunt vel antepoſponentes, vel poſtponentes.

§. XI.

Sunt vero, qui morbum intermittentem ſeu

tinui habent exacerbationes & remiſſiones, nullam vero intermiſſionem, quae ſolis morbis intermittentes com-  
petit.

Quid ſint morbi intermittentes ordinati & inordinati?

Quid ſint morbi antepoſponentes & poſtponentes?

Scholion.



paroxysmum antepone adferunt, si sequentes paroxysmi, antecedentes horam vnam vel alteram anteverunt. Verum hanc definitionem falsam omnino esse, ex eo apparet, quia paroxysmorum horae antepone possunt, licet ipsi paroxysmi non anteponant. Fac enim, alterum paroxysmum hora redire matutina sexta, alterum hora matutina quinta, & tertium hora matutina quarta, tunc horae quidem paroxysmorum anteponunt, non vero paroxysmi; nam intervalla inter hos paroxysmos aequali temporis tractu sunt definita. Haud alia quoque ratione a quibusdam morbi intermittentes, seu eorum paroxysmi postponere dicuntur, si hora una vel altera serius accedunt, quam antecedentes paroxysmi. Sed & hic eadem, qua ante vsi sumus, demonstratione euinci potest, horas postponere posse, licet paroxysmi non postponant. Hi enim tunc tantum postponunt, si eorum intervalla priori intervallo aequali sunt maiora.

## §. XII.

*Evolutio &  
distributio  
morborum  
continuo-  
rum, conti-  
nentium, &  
intermit-  
tentium.*

Ex his, quae de morbis intermittentibus & continuis haecenus adduxi, nullius porro negotii erit, morbos distribuere continuos & intermittentes. Nimirum ex disputatis liquido apparet, morbos continuos perpetuo, intermittentes vero tantummodo per intervalla adfligere aegrotos. Vnde aperta sequitur conclusio, ut quilibet morbi aegrum vel continuo, vel per certa quaedam intervalla adfligant. Atqui vero illos priores morbos continuos, hos posteriores intermittentes vocamus.

Morbi



Morbi igitur sunt vel continui, vel intermittentes. Ad haec autem continui morbi vel quosdam habent paroxysmos, vel nullos. Priores nomino continuos remittentes, posteriores continentes, vel continuos stricte sic dictos. Morbi ergo continui sunt vel continentes seu continui stricte sic dicti, vel continui remittentes.

§. XIII.

Morbi continentes seu continui stricte sic dicti vno tantum absoluuntur paroxysmo (§. V. XII.). Durant autem ab initio vsque ad finem vel aequali impetu, vel inaequali. Priores homotoni seu acma-  
*Euolutio & ordinatio morborum continen-  
tium.*  
 stici nominantur. Continentes ergo morbi vel homotonis inferi debent, vel alius sunt generis. Non homotoni sensim vel increfcunt, vel decrefcunt: illi dicuntur epacmaftici seu anabatici, hi paracmaftici. Non homotoni morbi igitur sunt vel epacmaftici seu anabatici, vel paracmaftici.

§. XIV.

Quae haftenus de morbis eorumque diuifione protuli, de febribus potiffimum valent, & nullo fere negotio ea omnia ad febres applicari poffunt, dummodo vocabulo morbi fubftituatur nomen febris. Quare hac de re plura verba facere fuperuacaneum duco. Eximia autem funt, quae Perilluftris *van SWIETEN* in *Commentariis fuis in Aphorismos BOERHAAVII*, de cognofcendis & curandis morbis, de febribus homotonis, epacmafticis seu anabaticis, & paracmafticis in medium profert, & digna,  
*Scholion.*  
 C 2 quae



quae hic allegentur. Triplicem, inquit e), februm  
 continuarum diuisionem dedit GALENVS de februm  
 different. Libr. II. Cap. 2. Edit. Charter. Tom. VII. pag.  
 128. Homotonos dicitur, quae ab initio ad finem us-  
 que aequalis permanet, quam & acmaasticam vocat;  
 epacmaastica vero vocatur & anabatica, quando paula-  
 tim increfcit, & contra paracmaastica, quae decrefcit.  
 Notandum tamen, omnem febrem continuam initi-  
 um habere, unde pergit sensim aucta, donec ad ἀκμὴν  
 sui incrementi peruenit; unde & hoc sensu homoto-  
 nos dicta febris increfcit, verum, uti optime monuit  
 GALENVS, in methodo medendi, Libr. IX. Cap. 3.  
 Edit. Charter. Tom. X. pag. 203, hoc nomine febris  
 continua donatur, si maneat ea febris magnitudo,  
 quam in prima accessione summam habuit. Si vero  
 febris pergit increfcere continuo, tunc epacmaastica  
 dicenda est, & contra, ubi ex summo suo vigore de-  
 crefcit sensim, tunc paracmaastica vocatur. Simul  
 etiam apparet, febrim talem, quae vno alteroue die  
 manet homotonos, postea declinante morbo in parac-  
 maasticam mutari: raro enim accidit, ut puto, febrim  
 talem absque declinatione manifesta impetus sui si-  
 mul & semel desinere, nisi larga venae sectione febris  
 quasi iuguletur; unde etiam GALENVS, describens ca-  
 sum iuuenis synocho putri laborantis, loc. cit. cap. 4.  
 pag. 206, notat, febrim primis duobus diebus eandem  
 mansisse, licet sanguis ad animi deliquium usque edu-  
 ctus fuisset, tertio vero die inuenit, febris impetum  
 remisisse paullulum, atque tunc conclusit, morbum  
 illum vocari debere synochum putrem paracmaasticam,  
 quam-

e) Libro supra citato, §. 732. pag. 426. Tom. II.



quamuis primis diebus homotonos fuisset, cumque quarto die iterum decreuerat febris & simul eadem proportionem urinae coctio praecesserat, septimo die finiendam febrim conclusit, quod & factum est. Febrim autem manere, crescere vel decrescere nouimus ex pulsus celeritate, calore & symptomatibus manentibus, auctis, vel imminutis. Febris homotonos salutaris, epacnastica seu anabatica pessima, & paracnastica melior. Facilis horum ratio patet. Si enim sustinere potuit morbum illud, quod in aegro de sanitate adhuc superstes manet, dum in summo incremento est, morbum ulterius tolerari posse, sperare licet, cum non amplius increseat, sed vel perstet idem, vel declinet sensim. Vbi autem continuo increscit febris, tunc augetur morbus & decrescit sanitas, adeoque iustus est metus, ne victa morbo natura succumbat. Haetenus Perillustris van SWIETEN.

## §. XV.

Omnes morbos a materia quadam morbifica proficisci, ex principiis pathologicis constat. Id, quod de statu sano in corpore in morbo adhuc superstes est, seu partes corporis humani naturalem adhuc in morbo habentes constitutionem, nomino naturam. Enimvero vires naturae sunt vel aequales viribus materiae morbificae, vel eidem cedunt. In priori casu morbus non breui tempore cessare potest, sed viribus naturae, quae vel solae, vel medicamentis adiutae morbos curant, tantum resistit, quantum hae agunt ad morbum vincendum. Neque materia morbifica sub his circumstantiis ita

*Causa prima morborum chronicorum.*



agere potest, vt vitae finem imponat; quia natura tanta agens vi, quanta materia morbifica, hoc impedit atque anteuertit. Quo modo fit, vt morbus diu sine vitae periculo durare possit debeatque. Sed eiusmodi morbus est chronicus (§. I.): ergo morbus, in quo vires naturae & materiae morbificae sunt aequales, chronicus esse debet.

## §. XVI.

*Scholion.*

Merito autem notari oportet, materiam hanc morbificam (§. XV.) non esse materiam a partibus corporis nostri diuersam & peculiarem peregrinam, humoribus nostris immixtam, sed ipsas partes corporis humani praeternaturaliter seu vitiose constitutas.

## §. XVII.

*Causa morborum acutorum.*

Vires naturae & materiae morbificae sunt vel aequales, vel inaequales. Prior casus a me iam consideratus est, morbumque dat chronicum (§. XV.). Restat igitur vt posteriorem conditionem examini subiiciamus, qua vires naturae & materiae morbificae sunt inaequales. Quo in casu necesse est, vt vires materiae morbificae naturae viribus vel maiores sint, vel minores. Si vires materiae morbificae sunt maiores viribus naturae, vita in periculo versatur, & morbus diu durare nequit, sed breui cessare & cum vitae periculo coniunctus esse debet. Quod quum constituat morbum acutum (§. II. III.), nemini obscurum esse potest, quemlibet morbum, in quo vires materiae morbificae maiores sunt viribus naturae, acutum esse oportere.

## §. XVIII.



§. XVIII.

Vires materiae morbificae sunt maiores viribus naturae (§. XVII.), si materia morbifica vel I) eiusmodi est indolis, vt partes aggrediatur ad vitae conseruationem summopere necessarias: e.g. cerebellum, cor, cerebrum, arterias & pulmones, harumque partium actiones laedat; vel naturae viribus collata, II) in maiori copia adest, vel III) nimia acrimonia & vi resolvente gaudet, vel IV) in viscido consistit, aut copioso, aut partes vitales, vt cerebellum, cor, cerebrum, &c. aggrediente. Atqui vero is morbus, in quo vires materiae morbificae sunt maiores viribus naturae, dicitur acutus (§. XVII.): quare morbus, in quo conditiones modo dictae animaduertuntur, acutus esse debet.

*Reliquae  
causae mor-  
borum acu-  
torum.*

§. XIX.

Si qua corporis adfectio ab eiusmodi materia originem duxit, quae ea est indole, vt partes corporis humani aggrediatur & laedat, sine quarum decenti constitutione vita esse potest nulla, quo pertinent verbi causa, cerebellum, cor, pulmones, cerebrum, &c. quod paullo ante (§. XVIII.) primo loco notauimus, morbus, qui ab eiusmodi materia oritur, cum vitae periculo coniunctus esse debet, nec diuturna protrahi potest duratione. Tunc enim laesae sunt actiones vitales, sine quibus vita consistere nequit, & quarum laesio omnium reliquarum actionum laesionem producit, eamque ob causam, nisi cito tollatur, diu durare non potest. Morbus vero brevis, cum periculo coniunctus, dicitur

*Probat  
ur  
numerus  
primus  
§. XVIII.*



citur acutus (§. I. II. III.): vnde huiusmodi morbum, cuius materia praedictae est indolis, quae partes aggreditur & laedit, ad vitae conseruationem summo opere necessarias, acutum esse oportet.

### §. XX.

*Probatur  
numerus  
secundus  
§. XVIII.*

Si quo in morbo materia morbifica, cum naturae viribus collata atque comparata, *iusto copiosior* adest, quam inter acutorum morborum causas altero constituimus loco (§. XVIII.), tunc natura non sufficienti gaudet vi ad materiam morbificam corrigendam & euacuandam, adeoque nisi eius vires crescant, vel medicamentorum virtute ita augeantur, vt materiam morbificam corrigere & correctam euacuare queat, ab hac vincetur & victa morbo succumbet. Materia enim morbifica, in nimia copia praesens, nec correctae & euacuatae, reliquas corporis humani partes, naturali adhuc gaudentes constitutione, aggreditur, eas deprauat, simili labe inficit, & sese auget multiplicatque, vel ipsas partes, sine quarum legitima constitutione vita consistere nequit, aggreditur, easque laedit. Quod quocunque fiat modo, vita semper in periculo versatur. Eiusmodi igitur morbus, in quo vires naturae sunt infirmae, materia vero morbifica copiosa adest, non potest non esse cum vitae periculo coniunctus, neque diu durabit, quoniam breui aut mors, aut vita sequitur, prout vires vel materiae morbificae, vel naturae crescunt. Verum enim vero morbus brevis, cum vitae periculo coniunctus, dicitur acutus (§. I. II. III.): quam ob rem  
morbus



morbus etiam, in quo materiae morbificae copia admodum magna est, in relatione ad vires naturae, acutus esse debet.

§. XXI.

Materia morbifica, si *iusto maiorem*, intuitu *Probatur* virium naturae, possidet *acrimoniam* atque vim re- *numerus* soluentem, quod tertium, inter acutorum morbo- *tertius* rum causas, est momentum (§. XVIII.), breui tem- *§. XVIII.* poris interuallo reliquas massae sanguineae partes, naturaliter adhuc constitutas, destruere valet; unde morbus enascitur brevis, cum vitae periculo complicatus, quem supra iam nominauimus acutum (§. I. II. III.).

§. XXII.

Si materia morbifica consistit in *viscida collu- Probatur* *numerus* *quartus* *§. XVIII.* *zie*, aut, si cum naturae viribus conferatur, copio- sa, aut partes vitales supra iam adductas aggredien- te; quae quarta morbi acuti erat causa (§. XVIII.): in priori casu viribus naturalibus resoluentibus, tum solis, tum virtute medicamentorum adiutis, nimis resistit, & vix, vel difficulter, vel plane non resolui atque euacuari potest. Si non cito euacuatur, reliquae partes actiuae, virtute resolvente praeditae, dum ei adhaerent, subtilitatem suam & dependentem ab hac vim amittunt resoluentem; unde copia viscida iam copiosi continuo crescere seque multiplicare debet. Quo facto oritur stasis vel vniuersalis, quae mortem producit, vel particularis, in vasis cerebelli, vel cordis, vel id genus aliarum partium, ibidem vitae finem impositura. Idem



contingat, necesse est, si viscidum eius est indolis, ut partes aggrediatur vitales easque laedat. Verum enim vero, quaecunque his contingant, vita semper periculo circumuenitur, & breui morbus vel in mortem, vel in sanitatem terminatur: in hanc nempe, si vires naturae resoluentes crescunt, vel medicamentorum ope augentur, ut viscidum resoluatur & ex corpore expellatur, stasesque feliciter expediantur; in mortem vero, si viscidi copia continuo increfcit & exinde stasis vel vniuersalis, vel particularis in vasis cordis, cerebelli, aliarumque id genus partium oritur. At vero morbus brevis, cum periculo coniunctus, dicitur acutus (§. I. II. III.): vnde morbus, cuius materia morbifica consistit in viscido vel nimis copioso, vel partes vitales aggrediente, acutus dici meretur.

## §. XXIII.

*Causa morbi brevis sine periculo.*

Si vires naturae & materiae morbificae sunt inaequales, ita, ut illae has longe superent, quod est casus alter (§. XVII.), quem supra tetigimus, vita nec perichitari, nec morbus diu durare potest, sed brevi tempore sine periculo desinere debet, id est, morbus oritur brevis, nullo tamen periculo stipatus.

## §. XXIV.

*Causa prima & secunda morborum chronicorum.*

Si materia morbifica, ad vires naturae relata, nimis viscida est, ita tamen, ut nec nimis sit copiosa, nec partes aggrediatur & laedat vitales, quod alias quoque accidere potest (§. XXII.), morbus exinde nascitur, non quidem periculofus, ob rationes  
ante



ante (§. cit.) allegatas, sed tamen non breuis, quoniam materia morbifica vi nimiae suae visciditatis, quam possidere supponitur, viribus naturae resoluentibus, tum solis, tum medicamentorum virtute adiutis, nimis resistit, & longum tempus, longumque & continuatum medicamentorum vsum ad suam resolutionem atque euacuationem requirit. Morbus ergo exinde oritur chronicus. Praeterea materia morbifica, ob nimiam visciditatem suam, in vasis viscerum minimis stagnat; quae stasis, si non fit in partibus vitalibus, sed aliis, nullum quidem producit vitae periculum, sed tamen difficilis est sublato, diuque durat, partim ob materiae stagnantis visciditatem, partim ob vasculorum minimorum angustiam, ad quae medicamenta parum accedere & penetrare possunt. Morbus igitur, qui exinde oritur, itidem est chronicus.

§. XXV.

Si morbus oritur & sustentatur a diaetae vitio, semper tantum materiae morbificae in corpus defertur humanum, quantum in ipso per medicamenta corrigitur & euacuatur. Si ergo vitium diaetae non cessat, nec tale est, vt vitae periculum producat, morbus diu sine vitae periculo durare, adeoque chronicus esse debet.

*Causa tertia morborum chronicorum.*

§. XXVI.

Omnes morbi, qui oriuntur ab atonia physica, sunt morbi chronici. Atonia enim physica difficilis est sublato & longo tempore continuatoque medicamentorum conuenientum vsum exactaque

*Causa quarta morborum chronicorum.*



diaeta ad suam opus habet curationem. Quotusquisque vero exactae diaetae leges ita observare potest, ut nunquam eas violet? Longum vero temporis spatium requiri, ut partes debilitatae debitum iterum acquirant robur, docent infantes; utpote qui non prius debitum nanciscuntur robur, quam aetatem iuvenilem attingunt & virilem.

## §. XXVII.

*Eadem materia morbifica pro diversa sede diversos quoque habet effectus.*

Si materia morbifica acris & simul viscida in corpore haeret, tunc vel in partibus ad vitae conservationem non necessariis, verbi causa, articulationibus, vel in partibus vitalibus stagnat. In casu priori producet morbum chronicum, in posteriori vero acutum. Sic materia arthritica, quae viscida est & acris, quamdiu stagnat in vasculis partium in articulationibus sitarum, efficiet morbum chronicum: si vero stagnet in partibus vitalibus, ut cerebello, corde, pulmonibus, vel musculis respirationi inservientibus, morbum producet acutum.

## §. XXVIII.

*Medicorum sententia de morborum initio & quomodo sit cognoscendum.*

Tempora morborum in initium, incrementum, statum & decrementum diuidi, supra dictum est (§. I.); summi vero momenti est multumque Medici interest, morborum curationem felici successu suscepturi, haec morborum tempora probe cognoscere atque a se inuicem discernere, ut sciat, quae in quolibet morbi tempore ab ipso agenda sint vel omittenda. Quod si quidem peritus Medicus aegro adsideret illo tempore, quando morbus incipit, tunc ipsi hoc cognoscere facillimum foret; sed hoc rarissi-



rarissime accidit, quoniam non prius solet Medicus ad consilium vocari, quam morbus per aliquod iam tempus durauit, & aliquem fecit progressum. Vnde fere semper omne id, quod de morborum initio scitur, aegri, vel praesentium narrationi debetur & ex his exquirendum est. Homines, medicinae ignari, tunc morbi initium statuere solent, quando decumbere incipit aeger, immo & Medici a decubitu aegrorum initium morbi perhibent esse computandum. Sic AETIVS, iam antea dictum est, scribit f), quod principium totius morbi illud tempus dicimus, quando per morbi violentiam minuta hominis virtute principium decubitus factum est. Et alibi inquit g): Principium totius morbi vocare oportet illud tempus, quando homo febrire incepit adeo manifeste, vt continuas corporis ipsi soluantur, neque amplius in publicum prodire valeat & consueta facere, atque ideo decubitu opus habeat. Non enim idem est, moleste se habere, & febricitare. Capite enim dolens aut moleste se habens & corpore grauatus, valet ut plurimum in principiis consueta peragere, donec praeualens ipsi morbus deiicit virtutem. Verum, vti optime monuit GALENVS h), a solo decubitus tempore febris initium computare, saepe errori ansam daret, quia homines robusti, vel minus sensibiles, vel malorum magis patientes, aut negotiis quibusdam detenti, &c. saepe tardius, & initio morbi vel ex toto,

D 3

vel

f) In *Libr. V. Cap. XV.*

g) *Eod. Libr. Cap. V.*

b) *De diebus decretoriis Libr. I. Cap. VII. Edit. Charter. Tom. VIII. pag. 459.*



vel ex parte iam praeterlapso, contra vero teneriores, sensibiliores & debiliores, vel nimis timidi, ob leuissimas vel minimas etiam causas, statim decumbere solent, atque inde concludit: *difficile esse morbi principium statuere exacte, primum enim, nimirum morbi principium, insensibile esse; ubi iam decubuerit, non morbi, sed decubitus esse principium.*

## §. XXIX.

*Quid per  
initium  
morbi in-  
telligatur.*

Ad ea, quae cognitionem initii morborum reddunt difficilem, & iam exposita sunt, accedit & hoc, quod Medici vocabulum *initium morbi* in vario admodum sumant significato, nec inter se conveniant, quousque sit extendendum. GALENVS varios hos optime distinxit initii morborum significatus, inquitens i): *Principium proprie dicitur impartibilis illa ac indivisibilis primi morbi impetus inuasio, in quo victus homo decubuit. Principium quoque dicitur proprium atque necessarium maxime contingens, quod, velut partem totius morbi, principium nominamus, quod non cognoscitur dierum numero, sed exacerbationum qualitate & concomitantium symptomatum lenitate; nam in incremento & morborum & symptomatum accidentium augmentum fit.*

## §. XXX.

*Terminus  
initii & in-  
crementi  
morborum.*

Sed non amplius immorabor aliorum opinionibus de morborum initio enarrandis, sed ad ipsam meam hac de re sententiam explicandam progrediar, primumque explicabo, quando terminus initii morbo-

i) De victu acutorum, pag. 149. Tom. XI. Edit. citat.



morborum sit ponendus, & quousque ille extendendus. Nullus dubito, quin morborum initium ab eo tempore sit computandum, quo sanitas in morbum deflectit, & sensibilis actionum laesio incipit, aut, vt paucis dicam, quo symptomata apparent. Atque tam diu durat initium morbi, quam diu symptomata talia & tanta manent, qualia & quanta fuerunt in initio, nec fiunt grauiora; quod fit, si vel noua accedunt symptomata, vel praesentia fiunt vehementiora. Ab eo tempore, quo hoc accidere videmus, incipit incrementum morbi, & hoc tam diu durat, quam diu symptomata vel numero, vel vehementia, seorsim vel coniunctim increscunt. Hoc morbi tempore sensim sensimque minuuntur illa, quae de sanitate supererant, & magis magisque laeduntur functiones. Constitutio ergo praeternaturalis in hoc morbi tempore increscit, naturalis vero decrescit.

§. XXXI.

Quum initium morbi tunc adesse dicamus, si symptomata primo apparent, illudque tam diu dureret, quam diu symptomata manent tanta & talia, quanta & qualia fuerunt, cum inciperent, nec vehementia & numero crescunt (§. XXX.), Medicus facile initium morbi eiusque durationem cognoscere poterit, si statim ab initio morbi symptomata habeat perspecta & cognita. Verum enim vero rarissime ipsi contingit haec felicitas, quia rarissime statim ab initio morbi auxilium eius & consilium imploratur. Quodsi vero vel maxime hoc fiat, ipse

*Quomodo  
initium  
morbi sit  
cognoscendum.*



ipse tamen omnia aegroti symptomata sensu percipere non potest, v. c. dolores, anxietates, appetitum laesum & id genus alia symptomata. Vnde, aegrum quaerendo, praesentia eius symptomata cognoscere debet. Qui vero vel delirio impeditus vera symptomata detegere nequit, vel morbum simulans symptomata fingit, quae non adsunt, vel nimis timidus & de vita sua sollicitus de symptomatibus pluribus & grauioribus queritur, quam reuera adsunt, ut Medicum inuitet necesse est, quo omnes suas curas & sollicitudines conferat in sanitatem eius restituendam. Haec & id genus alia reddunt negotium Medici, initium morborum cognoscendi, admodum difficile, &, nisi aliud ipsi suppeditetur remedium, quo ad eius cognitionem peruenire potest, ipsa res vel plane eum latebit, vel saltem in eadem diiudicanda dubius manebit & anceps. Verum in tanta rerum obscuritate nihil Medico maiorem accendere potest lucem, quam vrina, quae, quando & quam diu cruda est, morbi initium ostendit. Vrinae enim cruditas luculentum exhibet indicium materiae morbificae crudae; quam diu vero haec cruda est, tam diu non satis resoluta est & actiua, nec plura & maiora symptomata excitare valet, id est, morbi initium adest (§. XXX.).

## §. XXXII.

*De duratione initii morborum.*

Initium morborum non est aequalis durationis. In morbis enim acutissimis vix quendam ambitum habet, cum subito in iis vis morbi increascit: in aliis vero morbis, qui lentius decurrunt, principium



pium morbi ad aliquot saepe sese extendit dies. Cognoscitur autem eius duratio, partim ex symptomatibus, si talia & tanta manent, qualia & quanta in initio fuerunt, partim ex vrina cruda (§. XXXI).

§. XXXIII.

Sed & incremento morbi certae sunt notae, quae in eo potissimum consistunt, si symptomata vel vehementia, vel numero, seorsim vel coniunctim crescunt (§. XXX.). Saepius vero contingit etiam, vt, licet morbi incrementum adsit, symptomata tamen appareant mitiora. Cuius rei ratio hoc nititur fundamento, quod symptomata oriuntur a causis tam praeternaturalibus, quam naturalibus. Si igitur status praeternaturalis increscit, naturalis vero decrescit, magna & vehementia symptomata a causis praeternaturalibus, ob defectum vel decrementum causarum naturalium, nequeunt excitari. Fac enim, materiam morbificam tanta gaudere actiuitate, vt, concurrente naturali vasorum actione, vehementem excitare possit aestum, tunc illum producere nequit, si actio vasorum in fluida exigua & naturali longe minor est. Eodem modo comparatum est cum aliis symptomatibus. Prudentissime igitur iam pridem monuit SYDENHAMVS k), pessimis morbis symptomata subinde fuisse mitiora, quam ceteroquin eorum genio consentaneum fuisset, atque hoc inde fieri, adserit, quod natura, a primo morbi impetu quasi oppressa & deuicta, non satis valida est, vt symptomata regularia & magnitudini morbi con-

Quomodo  
incrementum morbi  
sit cognoscendum.

E

sona

k) In *Schedula monitoria de nouae febris ingressu.*



sona exferat, omnia vero phaenomena prorsus sunt anomala; etenim, perturbata oeconomia animali & quasi disiecta, febris exinde deprimitur, quae obtinente genuino naturae ductu vigere solet. Pulchro & idoneo exemplo ibidem hanc rem confirmat, dum iuueni, fere animam agenti, & quem febre laborare adstantes, ob temperatum partium externarum calorem, vix credebant, secta vena febris, a nimia plethora suffocata, emicuit tanto impetu, ut hac vehementiorem se nunquam vidisse fateatur. In eiusmodi casibus, quamuis reuera adsit morbi incrementum, subdole silent & mitiora sunt symptomata; sed a perito Medico latens incrementum morbi facile cognoscitur, dummodo attendat ad causas naturales: utpote quae vel oppressae, vel impeditae sunt, quo minus decenter & sufficiente vi agere queant, vel denique admodum decreuerunt.

## §. XXXIV.

De statu  
morbi.

Si symptomata morbi, quae increscunt, summum incrementi gradum attigerunt, ut non amplius increcant, sed maneant aequalia, ratione numeri & vehementiae, hoc morbi tempus dicitur *status* eiusdem. Atqui hoc morbi periculosissimum est stadium, quia omnia symptomata, quae toto incrementi tempore aucta fuere, in eo & numero plurima, & vehementiae maximae sunt, & sic sine ulteriori incremento persistunt. Vocatur etiam alias morbi status eiusdem *vigor*, item ἀκμή. Hac voce usus est HIPPOCRATES 1), qua designare voluit illud,

1) De prisca medicina, Cap.VII. Tom. II. pag. 159. Edit. cit.



illud, quod in vnaquaque omnium rerum summum est. Hoc morbi tempus sic definivit AETIVS m): *quum exacerbationes, dicens, statum acceperint, & similiter per omnia consequenter contigerint, concomitantibus symptomatibus, neque detractis, neque additis, tunc in vigore morbus esse dicatur. Vigor enim vehementissima morbi pars est.* Hoc HIPPOCRATES n) quoque concinna breuitate sic expressit: *Circa principia morborum, inquit, omnia imbecilliora; at circa vigores omnia vehementiora.* In hoc morborum tempore, quod *statum* vocamus, natura aequo quasi Marte dimicat cum morbi maxima vehementia, donec vel morbum superet, vel victa succumbat. Vnde & hoc tempore saepissime crises contingunt. Quoniam vero hoc tempus non in individuo quodam puncto consistit, sed aliquando ad vnum alterumque diem extenditur, ita, vt symptomata in eodem statu permaneant, neque augeantur, neque minuantur, *status morbi* appellatur. Hoc morbi tempore veteres Medici nullo modo, neque victu, neque medicamentis corpus turbabant, sed sollicite attendebant, quo versus natura vergeret, quasque moliretur mutationes, siue per euacuationes materiae morbificae, siue per depositionem eiusdem ad certa corporis loca; vt inde cognoscerent, quid sit agendum. Quo consilio etiam praecepit HIPPOCRATES o): *incipientibus morbis, si quidem mouendum videtur, moue, vigentibus*

m) Libr. V. Cap. XVII.

n) *Aphorism.* XXX. Sect. II. Tom. IX. pag. 73. Edit. cit.

o) In *Aphorism.* XXIX. Sect. II.



*bus autem quietem agere praestat; & alibi p) monuit: quum morbus in vigore fuerit, tenuissimo uti victu necesse est.* Statum autem morbi varium esse pro morborum diuersitate, magnitudine & duratione aliisque circumstantiis diuersis, per se patet.

### §. XXXV.

*De morbi  
decremento.*

Decrementum morbi non semper incrementum sequitur & statum. Nam si in incremento aut statu vel aeger moritur, vel crisis fit, qua omnia tolluntur symptomata, decrementum incidit nullum. Est vero decrementum morbi illud tempus, quo symptomata numero & vehementia minuuntur. Quemadmodum in morbi incremento symptomata numero & vehementia augentur & status praeternaturalis increfcit, naturalisque decrefcit (§. XXX.), sic contraria his fiunt in morbi decremento: omnia enim morbi symptomata in eo minuuntur, aegerque, licet a vi morbi eius vires fractae fuerint, facilius tamen ferre incipit morbum, & e contrario omnia, quae de fanitate supererant, augentur continuo. Patet ergo, maximum vitae discrimen, quod in morbi incremento & statu adfuit, in eius decremento abesse & praeteriisse, aegrumque adeo tunc non posse mori ex morbo, qui in decremento est. Quotuscunque igitur aliquis aeger in morbi decremento perit, is omnino non moritur ex morbo in decremento constituto, sed ex alio morbo in decremento denovo

p) In Aphorism. VIII. Sect. I.



nuo orto. Idem confirmat GALENVS q), *nullum esse, adfirmans, mortis periculum post morbi statum, & si qui vel maxime perirent hoc morbi tempore elapso, illud fieri vel propriis, vel Medicorum erroribus. Vbi enim, porro inquit, natura superior euasit & debellauit & restitit uehementiori morbi conatui, & quae infestabant, impugnavit, fieri non potest, ut postea succumbat.*

§. XXXVI.

Materia morbifica, in massa sanguinea haerens, multa & graua symptomata in morbi initio producere nequit, quia est viscida seu cruda, & partes eius nondum in partes minores & subtiliores, quae vi subtilitatis suae magnam exserunt vim, diuisae sunt. Hinc pauca tantum & leuia excitat symptomata, quod morbi dicitur initium, & tam diu durat, quam diu materia morbifica manet viscida seu cruda (§. XXX. XXXI.). Quum vero haec eius sit indolis, ut calorem praeternaturaliter auctum producat, quandoquidem febrim excitat, ipsae particulae igneae, calorem efficientes praeternaturalem, penetrant in omnes massae sanguineae globulos & materiam morbificam ipsam, cohaesionem partium minorem aëremque magis elasticum reddunt, a quo etiam cohaesio partium magis magisque immittitur seiungiturque. Praeter haec massa sanguinea, ob aëris elasticitatem auctam, expanditur atque turgescit, & expansa maiori vi agit in vasa, quae

*Quomodo initium, incrementum, status & decrementum morbi oritur.*

E 3                      aequa-

q) *De crisi*bus, Libr. III. Cap. III. Tom. VIII. pag. 436. Edit. Charter.



aequali gradu reagunt; quo facto motus humorum & calor crescit & resolutio tam materiae morbificae, quam sanorum massae sanguineae globulorum augetur. Actio enim vasorum in fluida, etiam in statu naturali, concausa est, imo causa sine qua non, ut Philosophi loquuntur, qua fluida determinato & sanitati conueniente resoluuntur gradu.

### §. XXXVII.

*Continuatio antecedentis.*

A resolutione materia morbifica diuiditur in partes minores & subtiliores. Iam constat ex principiis physicis, quod omne corpus, quod propria sua vi in alterum agere, in eius poros penetrare, & hac sua penetratione alterum resolvere potest, hos effectus tanto citius & maiori producat gradu, quo subtiliores sunt eius particulae, si ceteroquin reliqua conuenerint. Quam ob rem partes materiae morbificae, simulac & quando resoluitur, maiorem acquirunt vim & actiuitatem. Cum igitur iam in initio morbi sint actiuae atque efficaces, (alias enim calorem & motum non producerent praeternaturaliter auctum, in initio praesentem,) maiori & sensim sensimque aucto gradu agere debent, quando resoluuntur earumque resolutio crescit. Iam actio earum consistit in resolutione maiori partium massae sanguineae sanarum seu naturaliter constitutarum, earumque destructione. Ergo partes materiae morbificae resolutae maiori gradu partes massae sanguineae sanas resolvere & destruere debent, qua resolutione partes massae sanguineae heterogeneae resoluuntur in partes specificè grauiiores & leuiiores;



uiiores; quae posteriores resolutione liberatae agunt tam in ipsam materiam morbificam eamque resolunt, quam in partes massae sanguineae, quasque pariter resoluunt. Quousque vero materiae morbificae actio ad destruendam massam sanguineam maior est actione, quae destruit materiam morbificam, tam diu quoque durat morbi incrementum.

§. XXXVIII.

Si tandem materia morbifica per has mutationes §. XXXVII. descriptas & per miscelam cum massa sanguinea, & resolutionem ab hac factam, aequalem cum ea grauitatem specificam & vim acquisiuerit, tunc non amplius increfcunt symptomata, sed manent eadem, quod dicitur status. Morbi tempore materia morbifica vel excernitur e corpore per crisin, vel se- & excernitur ex massa sanguinea in certa corporis loca, in quibus sese accumulatur & abscessum facit: non vero e corpore excernitur. Quod ubi factum fuerit, symptomata remittunt, id est, morbi decrementum oritur, quia iam materia morbifica extra massam sanguineam haeret, nec amplius in eam agit. Quo specificè leuiiores vel grauiiores vero sunt partes materiae morbificae, cum massa sanguinea collatae, eo minus & difficilius eandem acquirunt grauitatem specificam cum ipsa, eoque minus oritur status & decrementum morbi, sed ad mortem vsque massae sanguineae destructio persistit. Quo magis denique materia morbifica, massam sanguineam destruens, hac specificè leuior & subtilior est, eo magis morbi sunt acuti, quia  
omni-

*Continua-  
tio antecede-  
ntis.*



omnibus massae sanguineae partibus adhaeret, easque destruit.

### §. XXXIX.

Significa-  
tus vocabu-  
li *crisis* va-  
rius.

Quum crises in statu morbi contingant, exactamque temporis rationem seruent, ordini congruum, nec ab instituto meo alienum esse iudico, si in hac mea Dissertatione *crisium* doctrinam prius ponam, quantum propositi mei ratio requirit & permittit, quam reliqua aggrediar pertractanda. *Crisis* est vocabulum graecum, quod denotat iudicium, & ἀπὸ κρίνειν, a iudicando originem suam ducit; unde etiam *iudicatio* appellatur. Frequentissime apud Medicos, in morborum historia & curatione, haec vox occurrit. Vnde non incongruum erit, hoc loco examinare, quid per *crisin* communiter intellexerint veteres. GALENVS r) solam subitam morbi in sanitatem conuersionem simpliciter *crisin* vocari voluit; & quia *crisin* praecedit, vel comitatur non mediocris perturbatio in corpore aegrotantis, simulque multa saepe satis terribilia symptomata in morbis tunc apparent, quae citatus Autor ibidem recenset, non mirum est, quod aegro adstantes magno corripiantur timore, sibi que persuadeant, tunc iudicium de vita aegrotantis agi. Hinc putat GALENVS, non Medicos, sed idiotas hoc inuenisse nomen. Verum non solam subitam morbi conuersionem in sanitatem vocauit *crisin*, sed tantum per excellentiam, quae dicitur s): quippe &

r) *De crisis*, Lib. III. Cap. II. p. 429. Edit. Charter. Tom. VIII.

s) *Libr. citat.* Cap. I. pag. 428.



& mutationem morbi in mortem crisin esse dixit, sed malam; illas autem crises, quae aliquam notabilem quidem faciunt morbi mutationem, non vero integram eius in statum sanum solutionem, imperfectas appellauit crises.

§. XL.

Crisis vocatur etiam iudicatio (§. *praeced.*), & sumitur vario significatu, modo pro ipsa critica euacuatione; modo pro symptomatibus crisin concomitantibus vel praecedentibus; modo pro ipsa morbi mutatione, quae fit vel per crisin, vel sine ista; modo pro ipsa morbi solutione, qui significatus mihi placet; modo denique pro morbi in sanitatem mutatione.

*Significatus vocabuli crisis alius.*

§. XLI.

Si morbus desinit existere, solui dicitur, & solutio morbi dicitur crisis, si haec in sensu latissimo sumatur. Si morbus desinit existere, terminatur vel in mortem, vel non; & hoc in casu vel in sanitatem, vel alium morbum. Crisis, qua morbus terminatur in sanitatem, dicitur bona, & ea contra, quae huic opposita est, mala. Bona crisis dicitur quoque perfecta, & mala imperfecta seu symptomatica. Alii per crisin symptomaticam aliud quid intelligunt, de quo infra plura differemus. Has vero de crisi notiones vsui loquendi Medicorum esse conformes, patet tum ex supra disputatis (§. XXXIX.),

*Significatus vocabuli crisis alius.*



tum ex eo, quia, vti animaduertit GALENVS <sup>t)</sup>, HIPPOCRATES non semel vel bis, sed frequenter admodum, in *primo & tertio Epidemiorum libro*, morbi solutionem crisin vocauit. Immo & GALENVS ipse, vbi de crisibus ex instituto agere incepit <sup>u)</sup>: *siue subitam*, inquit, *in morbo mutationem, siue ad meliorem statum inclinationem solam, siue perturbationem solam, quae eas antecedit, siue omnem morbi solutionem, siue eam tantum, quae bona sit, crisin quis velit appellare, non est mihi, nisi obiter hoc in loco distinguere, propositum: sed quo pacto haec omnia quisquam optime praenoscat percensere decreui.*

## §. XLII.

*Quid sit  
criticum?*

Quicquid cum crisi est connexum, nominatur criticum: vnde patet, quid sint symptomata critica, perturbationes criticae, excretiones criticae, materia critica, tempus criticum & dies critici. Crisis cum excretionem aut quadam, aut nulla coniuncta est: quae si prior fuerit excretio, vel sensibilis, vel non sensibilis obseruatur. Excretio critica sensibilis & insensibilis, prout morbum finit vel in salutem aegri, vel in detrimentum, est vel bona seu perfecta, vel mala seu imperfecta: quam vtramque excretionem, sensibilem vel insensibilem, multi crisin appellant. Excretiones criticae sensibiles sunt vel

<sup>t)</sup> *De diebus criticis*, Libr. II. Cap. V. pag. 482. Tom. VII. Edit. Charter.

<sup>u)</sup> *De Crisibus* Libr. I. Cap. I. p. 377. Tom. VIII. Edit. citat.



vel sanguineae, vel serosae. Ad priores pertinent haemorrhagiae; ad posteriores diarrhoeae, urinae fluxus, sudor, &c. Fiunt porro excretiones criticae, vel vna vice, vel pluribus vicibus. Priores nominari possunt simplices, posteriores compositae. Utrumque genus complectitur vel bonas seu perfectas, vel malas seu imperfectas crises, prout morbo finem faciunt vel salutarem, vel non salutarem. Morbos igitur vel simplici, vel composita crisi seu excretionem finire, ex his luculentissime apparet. Alii, quibus & ego meam adiungo sententiam, vocis criseos significationem arctioribus circumscribunt limitibus, eam strictiori sensu crisin non sine sufficienti ratione appellantes, si durante morbo vel per vias naturales, vel per alias a natura productas, humorum corporis nostri quocunque modo noxiorum, facta, quam Medici dicunt, coctione, euacuatio contingit spontanea, sensibilis, atque copiosa, maiori nempe quantitate, quam in vlllo statu sano, nec tamen violento, euacuationes fieri solent; si ad haec subito, eoque, quo crises accidere possunt, tempore oritur, paullo post iterum cessat, & morbo salutarem adfert finem. Saepenumero quoque plane similes excretiones, quae vero morbum quidem non finiunt, sed tamen mitigant, euacuationes seu excretiones Medici vocant criticas. Easdem euacuationes, si contingunt sine manifesto praesente morbo, & eas sequitur melior corporis status, salutes appellant euacuationes; qualescunque vero spontaneas & per vias naturales fiennes euacuationes, siue praesens sit morbus, siue ab-



sens, si peior corporis sequitur status, symptomatice nominant excretiones.

§. XLIII.

*De diebus  
criticis eo-  
rumque de-  
nominatione & di-  
uisione.*

Dies, quibus crises accidere solent, dicuntur critici, suntque vel, *primo*, vere critici seu critici proprii, qui etiam decretorii, iudiciales & indicatorii appellantur; vel, *secundo*, critici seu decretorii improprii, qui etiam indices, indicatorii vel contemplatorii ab HIPPOCRATE & GALENO eam ob rationem sunt dicti, quia praenunciant, quid diebus vere criticis proxime sequentibus futurum sit, utrum crisis sit secutura, nec ne? Verbi causa, ut haec exemplo illustrem, dies quartus est index seu indicatorius diei vere critici, nimirum septimi, quia praesagit, crisisne die septimo proxime sequente sit expectanda, nec ne? Eodem modo dies undecimus est indicatorius diei decimi quarti, dies autem decimus septimus diei vicesimi, ob eandem adductam rationem. Dies intercalares, intercidentes, prouocatorii, seu *παρεμπιπτοντες* vocantur illi, qui indicatoriis diebus quasi famulantur, & nomen suum inde acceperunt, quia in illis natura subinde excitatur & a morbo quasi provocatur, ut denuo aliquid moliatur & materiae morbificae paret excretionem. Dies non critici sunt reliqui, qui in nullam praecedentium classem sunt referendi, & dicuntur quoque vulgo non decretorii, vacui, & medicinales. Dies vere critici seu proprii critici, ex mente HIPPOCRATIS, intuitu ordinis & numeri, in circuitibus periodorum obseruandi, sunt vel

*pares,*



*pares*, vt quartus, sextus, octauus, decimus, decimus quartus, vicesimus octauus, trigessimus, quadragesimus octauus, sexagesimus, octogesimus & centesimus; vel *impares*, vt tertius, quintus, septimus, nonus, vndecimus, decimus septimus, vigesimus primus, vigesimus septimus, trigessimus primus, & trigessimus septimus.

§. XLIV.

Testibus HIPPOCRATE, qui primus dies criticos inuenit, obseruauit & determinauit, & GALENO, dies vere critici sunt dies tertius, quartus, quintus, septimus, nonus, vndecimus, decimus quartus, decimus septimus & vicesimus. Hos dies HIPPOCRATES in tres septimanas seu tria septenaria disposuit, diemque vicesimum tertii septenarii finem, decimum quartum vero secundi septenarii vltimum, simulque primum tertii septenarii constituit atque ordinauit. Atqui hos dies ita disponendi occasionem dedit ipsi experientia, quam ducem secutus est. Quum enim die vicesimo frequenter crises fieri animaduertisset, eundem diem tertii septenarii finem statuit, & hoc assumpto decimum quartum diem, qui secundi septenarii vltimus est, initium seu primum tertii septenarii posuit. Totam huius & antecedentis paragraphi euolutionem sequens tabula declarat.

*De diuisione dierum criticorum in septenaria.*



✧  
SEPTENARIUM

<i>Primum</i>	<i>Secund.</i>	<i>Tertium</i>	<i>Quartum</i>	<i>Quintum</i>	<i>Sextum.</i>
I.	VIII.	XIV.	XXI.	XXVIII.	XXXIV.
II.	IX.	XV.	XXII.	XXIX.	XXXV.
III.	X.	XVI.	XXIII.	XXX.	XXXVI.
IV.	XI.	XVII.	XXIV.	XXXI.	XXXVII.
V.	XII.	XVIII.	XXV.	XXXII.	XXXVIII.
VI.	XIII.	XIX.	XXVI.	XXXIII.	XXXIX.
VII.	XIV.	XX.	XXVII.	XXXIV.	XL.

Praeterea quoque Excell. IVNCKERVS, Praeceptor meus omni pietatis cultu deuerandus, in *Conspectu Pathologiae & Semiologiae* exhibuit dies criticos in tabula, quam ob elegantiam commoditatemque qua gaudet, dignam omnino existimamus, quae, lectorum pace, huc apponatur:

DIAGRAMMA HIPPOCRATICVM

*Dies*

SEPTENARIUM I.

I. *vacuus.*

II. *vacuus, sed secundum GALENUM Libr. I. de diebus decretoriis Cap. IX. ad dies criticos uterque refertur, quia in illis diariae soluuntur.*

III. *Intercalaris.*

IV. *Index seu contemplatorius, teste GALENO Com. III. in Praef. HIPPOCRATIS f. 36. est quaternarii primi finis & initium secundi, & praedicat die septimo euentura.*

V. *Intercalaris.*

VI. *Pseudocriticus, tyrannicus.*

VII. *Criticus reliquis valentior, ideoque dignitate & potentia primus, teste GALENO.*



SEPTENARIVM.

SECVNDVM.

TERTIVM.

VIII. <i>vacuus.</i>	XIV.
IX. <i>intercalaris, saepe exitialis.</i>	XV. <i>vacuus.</i>
X. <i>vacuus.</i>	XVI. <i>vacuus.</i>
XI. <i>index decimi quarti.</i>	XVII. <i>index vigesimi.</i>
XII. <i>vacuus.</i>	XVIII. <i>vacuus.</i>
XIII. <i>intercalaris.</i>	XIX. <i>intercalaris.</i>
XIV. <i>criticus, septimo suppar.</i>	XX. <i>criticus.</i>

QVARTVM.

QVINTVM.

SEXTVM.

XXI. <i>vacuus.</i>	XXVIII. <i>vacuus.</i>	XXXIV.
XXII. <i>vacuus.</i>	XXIX. <i>intercalaris.</i>	XXXV. <i>vacuus.</i>
XXIII. <i>intercalaris.</i>	XXX. <i>vacuus.</i>	XXXVI. <i>vacuus.</i>
XXIV. <i>index.</i>	XXXI. <i>index.</i>	XXXVII. <i>index.</i>
XXV. <i>intercalaris.</i>	XXXII. <i>vacuus.</i>	XXXVIII. <i>vacuus.</i>
XXVI. <i>pseudocriti-</i>	XXXIII. <i>intercala-</i>	XXXIX. <i>intercala-</i>
<i>cus, tyrannicus.</i>	<i>ris.</i>	<i>ris.</i>
XXVII. <i>criticus.</i>	XXXIV. <i>criticus.</i>	XL. <i>criticus.</i>

§. XLV.

Viginti dies, qui ab HIPPOCRATE in tria di-  
uiduntur septenaria, ad quaterniones quoque com-  
putantur, ita, vt quartus dies primi quaternionis sit  
nouissimus, & secundi quaternionis primus, tertius  
quaternio ab octauo die exordiat, & vndecimo  
finiatur; quartus quaternio ab eodem vndecimo die  
incipiat & decimo quarto terminetur, idemque hic  
dies sit initium quinti quaternionis & decimus se-  
ptimus dies quinti quaternionis finis, ab eodem  
decimo septimo sextus quaternio incipiat & vicesi-  
mo terminetur. En! sequentem tabulam:

*De diuisione  
dierum  
criticorum  
in quater-  
niones.*

I. pri-



primus	I.	
quater-	II.	
nio.	III.	
	IV.	primi quaternionis nouissimus & secundi primus.
secund.	V.	
quater-	VI.	
nio.	VII.	secundi quaternionis postremus, & sequentis primus.
tertius	VIII.	primus tertii quaternionis.
quater-	IX.	
nio.	X.	
	XI.	ultimus tertii quaternionis & quarti primus.
quartus	XII.	
quater-	XIII.	
nio.	XIV.	ultimus quarti quaternionis & quinti primus.
quintus	XV.	
quater-	XVI.	
nio.	XVII.	ultimus quinti quaternionis, & primus sexti.
sextus	XVIII.	
quater-	XIX.	
nio.	XX.	

## §. XLVI.

*De diebus  
criticis ma-  
gis vel mi-  
nus efficaci-  
bus.*

Vti apparet ex tabulis, quas his modo interie-  
cimus paginis, eadem est proportio dierum critico-  
rum in secundo vicenario, hoc est, a vicesimo die ad  
quadragesimum, quae in primo fuit. Post exactum  
diem quadagesimum sicuti morbi acutorum classe  
eximuntur, ita nec amplius imparibus diebus, qua-  
ternariis nempe & septenariis, sed omnino paribus  
soluuntur, nimirum vicenariis, verbi causa, die se-  
xagesi-



xagesimo, octogesimo, centesimo, & eadem serie reliquis. Septenarii sunt efficacissimi dies critici, & post hos quaternarii, qui singulis septenariis competunt: vnde illi, qui in medio sunt vtrorumque, intercurrentes vocantur. Si GALENI testimonio nitamur, dies septimus omnium criticorum est praecipuus, dies vero duodecimus, decimus sextus & vicesimus primus non sunt dies critici. Septimo enim morbi die toties crises vidit factas GALENVS, vt eas ne numero quidem comprehendere posset, duodecimo vero & decimo sexto die nullam obseruauit crisin. Sexto die crises itidem factas fuisse citatus autor obseruauit, sed difficillimis symptomatibus coniunctas, maximo cum periculo, absque fide, imperfecte, obscure, sine notis & in malos plerumque euentus. LOMMIO iudice v), ex criticis diebus *boni sunt tertius, quartus, quintus, septimus, nonus, vndecimus, decimus quartus, decimus septimus & vicesimus; mali autem & parum tuti minimeque iudiciales sunt sextus, octauus, decimus, duodecimus, decimus sextus & vndeicesimus. Diem decimum tertium quidam ancipitem esse mediumque inter bonos volunt & malos. Omnes dies impares, qui primo continentur vicenario, quia hoc tempore morbus vehementius mouetur, iudicant morbum, postea autem magis remittitur & mitescit morbus, vnde fit, vt in secundo vicenario vix ulli dies, praeter septenarios, e.g. vicesimum, tricesimum quartum & quadragesimum, iudicare aliquid possint.*

G

§. XLVII.

v) *Obseruat. medicinal.* Libr. I. pag. 54. Edit. Ienens.



## §. XLVII.

*Num ea,  
quae vete-  
res olim de  
crisibus  
tradide-  
runt, expe-  
rientiae ad-  
huc respon-  
deant.*

Saepius autem numero incidit quaestio, an illa, quae veteres olim de morborum crisibus & diebus criticis tradiderunt, eadem ratione contingere obseruentur in morbis, qui nostra aetate apud nos occurrunt? Sunt qui id negant, partim quod coeli & climatis natura, viuendique ratio, apud veteres multo simplicior fuit, partim quod morbos tractandi & curandi ratio, qua nostro tempore naturalis morborum decursus saepissime perturbatur, plane est diuersa. Enimuero licet lubens meritoque concedam, haec aliquam in consecutione crisium efficere diuersitatem, praecipue si minus exactum crisium ordinem apud nos spectes, negari tamen non potest, veterum de crisibus observata nostris etiam temporibus vera esse & experientiae testimoniis confirmata. Quod vero hac nostra aetate apud nos non semper obseruentur, id eam inprimis ob causam fieri puto, quia a nostri aevi Medicis in obseruando morborum decursu tanta non adhibetur diligentia, quantam veteres Medicos nauasse, in eorum scriptis legimus relatum. Quippe qui, quicquid singulis morbi temporibus noui & mutati apparebat, sedulo notarunt, hisque adminiculis inueniunt, quomodo natura morbos sanaret, huiusque vestigia presso pede essent legenda. Quotusquisque vero est nostrum, qui haec omnia in morborum temporibus obseruanda suscipere possit, & velit? Isti enim, qui, amplissimo artis nostrae exercitio occupati, ad haec attendendi optimam habent occasionem, ita saepe aegrorum numero obruuntur,



tur, vt, dum pluribus consilio & auxilio succurrere debent, ad singulos minus attenti esse possint. Plurimi quoque, dum aliquoties his, quae ipsi in morbis obseruant, non respondere vident illa, quae de crisi, diebus criticis, & horum indicibus tradiderunt veteres, postea haec omnino negligunt & in his saltem regionibus nullius vsus esse sibi persuadent.

§. XLVIII.

Ad haec vero momenta, quae efficiunt, vt *Continuatio antecedentis.* apud nos hodierno aeuo cresium ordo & successus minus respondeat veterum obseruationibus, hoc accedit, quod cresium & dierum criticorum ordo nostra aetate a variis, quae aegris, cum Medicorum, tum adstantium & ipsius aegrotantis culpa accidunt, mutationibus, praesertim ab imprudenti Medicorum curatione magis perturbetur, quam olim deprehendimus factum. Quae omnia sapientissimus HIPPOCRATES in ipso Aphorismorum initio recte monuit, dicens: *Vita brevis, ars longa, occasio praeceps, experientia periculosa.* Oportet autem non solum Medicum exhibere se ipsum facientem, quae decet, sed aegrotum, & adstantes, & externa. Quo monito indicare voluit, vt GALENVS in commentario huius aphorismi optime animaduertit, quod, si quis accuratum de veritate illorum, quae sequentibus omnibus aphorismis continentur, iudicium ferre vellet, is ipse non solum aegro praecipere debeat, quae conueniunt, sed etiam aeger Medico morem gerat, adstantes fideliter Medici mandata exsequantur & externae res fere infinitae ita com-



paratae esse debeant, vt nec aegri somnum turbent, nec affectus moueant, &c. Nae! quoties aegrorum custodes & adstantes, vel incuria sua, vel inconuenienti & damnofo regimine, omnia perturbant in morbis acutis, vt plurimi inde pereant, aut non, nisi difficillime, ex orci faucibus eripi possint! Immo Medici ipsi sua imperitia & nimio vel intempestiuo remediorum vsu ordinatos naturae motus in morbis peruertunt. Summo igitur iure GALENVS *m*) illos damnauit falseque derisit Medicos, qui se ex arte procedere non credebant, nisi clyisma iniicerent, venam secarent, cucurbitulas applicarent, &c. dixitque, eiusmodi toties peccare, quoties ad aegrum accederent. Neque cum multi Medici imprudenti & nimio vel intempestiuo remediorum vsu morbos aggredi, omniaque turbare solent, mirum adeo esse oportet, si naturae motus atque crises non statis periodis debitoque ordine contingant. Non igitur vilipendenda sunt illa, quae veteres de crisis & diebus criticis tradiderunt, licet sanguinis circulationem aliaque pulcherrima posteriorum inuenta ignorauerint: quandoquidem dogmata sua non ex intellectis principiis & causis, sed obseruationibus & fideli effectuum animaduersione deduxerunt.

## §. XLIX.

*Recentiorum obseruata de crisis.*

Veterum vestigia feliciter secutus est nunquam satis laudandus SYDENHAMIVS in sedula  
atque

*m*) De diebus criticis, Libr. I. Cap. XI. pag. 468. Tom. VIII. Edit. saepius citat.



atque accurata eorum obseruatione, quae in morbis accidunt, atque ex his optimam diagnofin & prognofin morborum deduxit. Tum autem nuperissime prodiit libellus, in quo plurima continentur, veritatem eorum, quae veteres de crifibus & criticis diebus memoriae prodiderunt, confirmantia, fimulque demonftrantia, quam pulchre illa, quae a veteribus de crifibus tradita funt, augeri poffent, fi morborum accessiones, progressus atque decurfus follicite obseruarentur. Quod in exemplum excitabimus vnicum *Francifcum SOLANO de LVQVE*, Antequerae in Hispania praxin medicam exercentem; qui, quamuis in iis, quae ad eruditionem medicam fpectant, minus verfatus effiet, fola tamen pulfus obseruatione in morbis, criticas euacuationes per aluum, vrinam, fudores, narium haemorrhagiam, &c. tribus vel quatuor diebus, antequam contingerent, praedicere, & faepiffime praefagire, quo die & qua hora hae crifes fint exfpectandae & euenturae, fupra fidem paene accurate exquifiteque eft edoctus. Quod opus, anno MDCCXXXVII. a *Francifco SOLANO de LVQVE* de praedictione crifium ex pulfu, fub titulo *Lapidis Lydii Apollinis*, Hispanico idiomate confcriptum, a Domino *Petro ROXO*, *membro honorario Academiae medicae Madritenis*, & *nofcomii fancti Iohannis de Dios*, Gadibus Medico tradebatur Anglo, *Iacobo NIHELL*, medicinae Doctori, qui tunc temporis inter Anglicos eiusdem vrbis mercatores medicinam faciebat. Adfeuerabat ifte *Petrus ROXVS Iacobo NIHELL*, fe aliqua de horum, a *Francifco SOLANO de LVQVE* inuentorum,

G 3

rum,



rum, veritate experientia comperta habere, & querebatur, quod ipsius conterranei haec tanti momenti, tam noua, & tam locupletissimis testimoniis stabilita inuenta Solaniana omnino negligerent nauci-que haberent. At *Iacobus NIHELL*, nouitate rei perculsus, librum *Francisci SOLANI de LVQVE* maxima diligentia legit & relegit, eiusque obseruationes, omnibus candoris ac fidei, quae desiderari possunt, testimoniis instructas deprehendit. Nihilominus tamen, vt in re tanti momenti & ponderis ne minimo quidem dubio locus superesset, ipse Antequeram, quae trium modo dierum interuallo a Gadibus distat, petiit, vt factorum & obseruationum SOLANI veritatem coram examinaret. SOLANVS magna eum recepit humanitate, & omnes, quas-  
cunque potuit, ipsi obtulit occasiones, libere curateque in suas inquirendi obseruationes, easdemque duorum mensium spatio, quo Antequerae morabatur, diligenter obseruandi. Hoc temporis interuallo ab omnibus, quos SOLANVS in suo libro factorum suorum testes nominauerat, inter quos multi erant viri in magna dignitate constituti, & munerum splendore spectatissimi, veritas illorum, quae SOLANVS *de LVQVE* praedixerat, *Iacobo NIHELL* est confirmata. Horum enim virorum maxima pars tunc adhuc supererat: quorum singuli Solanianas praedictiones, quas ipsi veras experti erant, iureiurando attestari, paratissimi fuerunt. Quin etiam Medicorum plurimi, qui nullam plane fidem obseruationibus & praesagitionibus SOLANI *de LVQVE* adhibuerant, tandem experientia de illarum veritate fuerunt



fuerunt conuicti. Sunt autem hae SOLANI de LVQVE obseruationes & praedictiones de crisibus expositae in libro, qui inscribitur: *Nouae obseruationes circa crisium praedictionem ex pulsu, nullo habito respectu ad signa critica antiquorum: primum a Francisco SOLANO de LVQVE, Antequerae in Hispania Practico, aliisque deinde Medicis factae, &c.* qui- que Traiecti ad Rhenum ann. MDCCLIV. prodiit.

§. L.

Crisis, eo sensu sumta, vt per ipsam intelligatur euacuatio humorum quorundam corporis hu- mani per vias naturales, vel per alias, quae sponte fit, sensibilis & copiosa est, maiori nempe quantita- te, quam in vilo statu sano & non violento euacua- tiones fieri solent, breui cessat & morbum salutariter finit. Atque haec crisis, quam supra (§. XXXIX.) stricte sic diximus, non occurrit, nisi in febribus acutis; in quibus vno quasi actu contingit, & dein sanitatis sequitur restitutio. Id ergo quo perficia- tur, necesse est, vt omnis materia morbifica, in vi- tiosa globulorum massae sanguineae constitutione consistens, intra idem tempus resolutione ad excre- tionem apta reddatur & excernatur. Causae huius resolutionis externae sunt actio vasorum & calor maior, quae in febre adsunt & in omnes globulos massae sanguineae aequali fere gradu agunt. Nisi igitur ipsi globuli vitiose constituti, tam quatenus hisce viribus externis resistunt, quam quatenus par- tes ipsorum constituentes certo quodam inter se cohaerent gradu, pro sua actiuitate, ex ipsarum propor-

*Nulla fe-  
bris crisi  
finitur  
stricte sic  
dicta, nisi  
cuius mate-  
ria morbi-  
fica est ho-  
mogenea, &  
crisis in-  
stantis signa  
ex urina  
petenda  
sunt.*



proportionem & miscela oriunda, aequaliter ad hanc resolutionem concurrerent, ipsa resolutio intra idem temporis interuallum ad eundem gradum fieri non posset. Globuli massae sanguineae, qui viribus externis aequaliter fere resistunt, & vi proportionis partium suarum constituentium ad resolutionem aequaliter fere concurrunt, aequalem etiam partium constituentium proportionem & miscelam habere, adeoque homogenei esse debent. Nulla igitur febris vna crisi finiri potest, nisi cuius materia morbifica sit homogenea. Quum vero resolutio materiae morbificae successiue fiat, facile perspicitur potest, dum resolutio materiae morbificae fit, sed nondum perfecta est, partes resolutas, quia resolutione nondum satis sunt diuisae & attenuatae, per vasa renum, quae reliquis vasis fecernentibus sunt ampliora, atque in statu naturali crassissimas fluidorum partes transmittunt, vna cum vrina fecerni posse, per alia vero vasa fecernentia, vtpote angustiora, transire non posse, nisi magis resoluantur.

## §. LI.

*Quid sint  
nubecula,  
enaeorema  
& sedimen-  
tum, signa  
coctionis,  
& vnde de-  
sumenda?*

Partes materiae morbificae, incipiente resolutione attenuatae, & cum vrina secretae, ad resolutionem in vrina sunt ineptae: cum per se, quia non satis sunt diuisae & alia proportionem inter se commixtae, quam illae esse solent, quae alias e lymphae separatae atque solutae vrinam in statu sano constituent; tum quia vrina in febribus, salutari exitu gaudentibus, a partibus massae sanguineae naturalibus copiose resolutis magis est saturata, quam in statu sano.



fano. Atqui hinc etiam fit, vt partes materiae mor-  
bificae, incipiente resolutione, vrinae tantum sint  
commixtae, & in ipsa, quatenus inter se sunt homo-  
geneae, sese coniungant, manifestaue & sensibili  
qualitate a reliquo lotio distinguantur: quod phae-  
nomenon a Medicis nubecula, enaeorema ac sedi-  
mentum appellari solet. In omni ergo febre, per  
crisin finienda, hae in vrina mutationes crisin prae-  
cedere debent. Materiae morbificae ad eum gra-  
dum resolutio, vt vasa renum transire possit, coctio,  
ipsaque materia morbifica, ad eum gradum resolu-  
ta, cocta vocatur. Nubecula vero, enaeorema &  
sedimentum sunt signa coctionis: ita, vt sedimen-  
tum, id est, materia vrinae heterogenea, & infi-  
mum in vase, quo continetur vrina, occupans lo-  
cum, coctionem indicet perfectam; enaeorema ve-  
ro seu similis fere materia, in vrinae medio haerens,  
medium coctionis gradum, nubecula denique, seu  
itidem fere similis quidem, sed tenuis materia, supe-  
riorem in vrina occupans locum, coctionis initium  
demonstret.

§. LII.

Eae, quae primo vna cum vrina excernuntur, partes materiae morbificae resolutae, ob homoge-  
neitatem, quae dictae materiae competit (§. L.), non  
nisi paucae esse possunt, hinc non nisi tenue in vri-  
na exhibent corpus, & quia per breue tantum tem-  
pus viribus resoluentibus expositae fuerunt, easque  
sustinuerunt, nondum sunt valde resolutae & in sat  
minutas partes diuisae; hinc aërem, qui ex illis non

*Quomodo  
oriatur nu-  
becula,  
enaeorema  
& sedimen-  
tum.*

H plane



plane semotus fuit, adhuc continent. Quia vero sunt resolutae, earum partes constituentes minori inter se cohaerent gradu aërisque contenti haud perfecte resistunt elasticitati. Hinc porro fit, ut sint expansae, adeoque magis, quam esse debebant, specificè leuiiores, & hinc etiam superiorem in vrina occupent locum, atque hoc modo nubeculam constituent. Haec nubecula, incipientis coctionis signum, tertio ante crisin die ordinarie in vrina apparere solet, ut primo die, si quarto die crisis sit futura; quarto die, si septimo crisis sit secutura, & vndecimo die, si decimo quarto crisis contingit. Si primo die nubecula in vrina apparet, secundo die enaeorema, tertio sedimentum oriri, & quarto crisis fieri solet. Si quarto die nubecula in vrina se ostendit, quinto enaeorema, & sexto sedimentum in vrina occurrit, septimo vero die crisis accedit. Si vndecimo die nubecula in vrina observatur, duodecimo enaeorema, & decimo tertio sedimentum vrina exhibet, decimo quarto euenit crisis. Resolutio, quae in quibusdam materiae morbificae particulis iam incepit, cito in his continuare, inque reliquis etiam incipere debet. Ista ergo particulae, quae quidem fuerunt resolutae, eo tamen die, quo nubecula in vrina apparuit, non fuerunt euacuatae, diutius virium resoluentium actionem sustinent, atque hinc maiori resoluuntur gradu, & aërem contentum, dum excernuntur, ex mixtione sua saltem ex parte dimittunt. Proinde non eo gradu expanduntur, ut istae, quae nubeculam constituent, & hinc magis quoque, quam hae, sunt specificè grauior-



grauiores, atque non superiorem, sed medium in vrina occupant locum, id est, enaeorema formant, imo forsan fundum peterent, nisi aliis, minori gradu resolutis, adhaererent. Patet, ergo, cur enaeorema altero vel alio die subsequente, & sedimentum tertio die vel sequentibus diebus nubeculam sequatur. Ceterum tum ea, quae haecenus (§. L-LII.) exposui, tum reliqua, quae ad crisin spectant, egregie & luculenter sunt euoluta & pertractata in immortalis HAMBERGERI, Viri, cuius manibus bene precor & quem, cum viueret, vt Praeceptorem coram venerari mihi fortuna contigit, Dissertatione *de similitudine signorum iudicationis & mortis in febribus acutis proxime instantis*.

### §. LIII.

Iam vero, quum haecenus fini nostro conuenienter de crisi actum existimem, eo nunc perducta est oratio, vt transgrediar ad ea, quae ratione temporis in prognosi & curatione morborum sunt obseruanda. Maximum autem vitium aegri ipsimet, aut eorundem curam habentes, in eo committere solent, quod non ad primam mali sensationem, sed post vnum alterumue, vel etiam tertium demum diem Medici auxilium implorant. Quae dilata auxilii medici imploratio in morbis chronicis parum quidem nocet; quia vero aegri, aut alii, qui ad eos pertinent, saepenumero nesciunt, praesensne morbus chronicus, an acutus sit futurus, haec cunctatio aegrotis plurimum adferre potest detrimenti. Verbi causa, pone, morbum, quo aeger laborat, esse febrem

*Damnum  
ex dilata  
Medici ad  
aegrum vo-  
catione.*



vel inflammatoriam, vel aliam acutam. Si est febris sine inflammatione, eo tempore, quo Medicus non fuit in consilium vocatus, facile increfcit, & maiorem vehementiae adipiscitur gradum. Quis vero dubitat, gradum morbi maiorem minore gradu difficiliorem esse curatu? Medicus, non in principio morbi ad aegrum vocatus, speculatorem fere otiosum agere cogitur, eique nihil amplius agendum superest, quam reliquum morbi decursum naturae relinquere, & tantummodo symptomatica graua, quae accedunt, auertere; quod vero non semper in ipsius viribus positum est: cum e contrario febris in prima quasi herba suffocari, vel saltem ita mitigari potuisset, ut durante toto suo decursu lenis maneret, si in principio statim Medicus ad aegrum accessisset. Praeterea aegri vires secundo vel tertio morbi die magis sunt imminutae, ideoque prohibent Medicum, quo minus venam secari iubeat, ne vires, ad crisin vel morbum sustinendum & superandum necessarias, aegro subtrahat: cum e contrario in morbi principio tuto & secure maximoque cum emolumento, ob vires aegri nondum labefactas, huiusmodi morbi vires imminuentia remedia Medicus adhibere potuisset.

## §. LIV.

*Continuatio antecedentis.*

Restat alter casus febris, qua aegrum laborare fingimus, quae est inflammatoria. Febres inflammatoriae triplicem habent periodum. Prima est simplex inflammatoria, in altera inflammatio transit in suppurationem, in tertia pus exinde factum



factum atque vlcus in corpore haeret. Quaelibet periodus peculiarem, quin adeo diuersam exposcit medendi methodum, vt remedia, quae in prima periodo profunt, in reliquis noceant periodis, & ista sola curatio, quae in prima instituitur periodo, vera sit vocanda, quippe in reliquis periodis iam transitus fit in alium morbum, nempe in suppurationem, saepe cum maximo vitae periculo coniunctus. Si igitur peritus Medicus & prudens in morbi principio statim accedit, inflammatio conuenienti cura discuti & grauissimus morbus saepissime intra biduum vel triduum perfecte curari potest. Si vero altero morbi die eius auxilium imploratur, interdum quidem, non vero semper, inflammatio remoueri & discuti potest, febris vero per plures continuat dies & satis periculosa esse & euadere potest. Si in eiusmodi morbo acuto inflammatorio tertio demum die Medici requiritur auxilium, probe eum omnes omnino considerare oportet circumstantias, vt cognoscat, possitne sine damno consueta medendi methodus adhiberi, nec ne? quandoquidem experientia docet, raro morbum inflammatorium tertio die tolli posse, qui primo die intra paucas horas superari potuisset.

§. LV.

Febres inflammatoriae nunquam vigesimum primum diem excedunt. Inde ergo, si quis morbo laborat, qui ultra viginti & vnum diem durauit, certe concludi potest, hunc morbum non esse febrem inflammatoriam, aut si vel maxime antea febris fuerit inflammatoria, nunc tamen talem non esse, sed

*De morborum inflammatorio-  
rum tem-  
pore.*



vel in vlcus, vel in scirrhum degenerasse. Si enim febris inflammatoria viginti dies excedit, abit vel in suppurationem, qua inflammatio mutatur in vlcus, vel in scirrhum. Speciatim autem ex febribus inflammatoriis phrenitis non vltra quatuordecim dies durat: hinc morbum, qui vltra quatuordecim dies durauit, non esse phrenitidem, certe concludere licet. Peripneumonia morborum acutorum terminum seruat, & frequentius diebus septem vel quatuordecim iudicatur, nonnunquam & circa diem decimum octauum vel vigesimum; saepius autem adeo acuta est peripneumonia, vt intra triduum vel quatrimum necet aegrotos. Omnes reliquae inflammationes internae non vltra viginti dies extenduntur, atque hinc omnes illos morbos, qui vltra viginti durauerunt dies, non esse inflammatorios, legitime inferri potest.

## §. LVI.

*De tempore  
febrium ex-  
anthemati-  
carum, &  
speciatim  
variola-  
rum &  
morbillo-  
rum.*

Praecipuae febres exanthematicae sunt variolosa, morbillosa, purpurata & petechialis. In omnibus hisce febribus temporis rationem habendam esse, quotusquisque Medicorum nescit? Tempus variolarum quadruplex est, vel ebullitionis, vel eruptionis, vel suppurationis, vel exsiccationis. Tempus ebullitionis est id, quod ab inuasionem morbi vsque ad illud tempus extenditur, quo variolae erumpunt. Tempus eruptionis incipit a tertio vel quarto die, & durat vsque ad septimum. Tempus suppurationis a die septimo extenditur vsque ad vndecimum. Circa hunc diem variolae rumpuntur, & circa decimum quartum exsiccantur & decidunt.

Tota



Tota ergo variolarum periodus quatuordecim diebus inclusa est. Morbillorum eruptio fit tertio vel quarto a morbi inuasionem die, duratque ad quintum vsque vel sextum, qua periodo morbilli subsistunt, ruborem amittunt, minus colorati & albi euadunt, ruptaque cuticula, sub squamularum tenuium forma decidunt, ita, vt die octauo vel nono nullae amplius maculae sint conspicuae.

§. LVII.

Maiores semper est periculi, si purpura ante septimum post febris initium diem erumpit. Generatim enim Medicorum obseruationibus constitit, tanto maius purpurae febrili iunctum esse vitae periculum, quanto citius apparet. Quum enim purpura transpirationem impediat, ea tunc erit maxime periculosa, quando perspiratio summe necessaria est. Atqui vero quum tempore incrementi febris, ne ea nimis increseat, perspiratio maxime sit necessaria, incrementum vero febris peracutae, qualis est purpurata, ad septimum vsque diem duret, patet ratio periculi maioris, quod cum eruptione purpurae ante septimum diem est coniunctum. Alia praeterea periculi, ex nimis tempestiua purpurae eruptione, accedit causa. Nam, quo citius purpura erumpit, eo certius exinde sequitur, vt in massa sanguinea iam partes adsint, ex acrimonia & visciditate in cute stagnantes, & exanthemata purpuracea efficientes. Hae partes vitiosae, vel iam ante febris ortum in massa fuerunt sanguinea, vel intra paucos dies ex ipsa febre sunt generatae. In casu priori corpus est impurum, & maius semper metuendum est periculum, si corpus  
impu-

*De tempore  
& periculo  
purpurae.*



impurum, quam si sanum febris laborat. In casu posteriori ipsa febris vehemens, adeoque periculosa esse debet. Ratione denique temporis durationis, eadem exanthemata purpuracea febrilia ad tres vel quatuor dies durare solent, interimque noua semper oriuntur exanthemata, ita, vt totum tempus apparitionis purpurae ad decem vel plures dies protrahi possit.

§. LVIII.

Sed fatis iam, ac fortasse etiam diutius, quam alias praestituti Speciminibus solemnibus limites permittere solent, commentationi huic, & inprimis obseruationibus pathologicis atque semiologicis, ad singularia morborum genera spectantibus, immorati sumus. Quam ob rem ea, quae adhuc de reliquorum variorum morborum tempore, crisi, notisque ipsam futuram crisin indicantibus, subtiliter singulatimque disputari possent, quod certissime iustum amplumque constituta essent volumen, impraesentiarum non amplius persequar, aliorum diligentiae singularem hanc operam relinquens. Denique, si qui parum attenti lectores forte ex iis, quae Dissertationis huius titulo de *temporum* in morbis diuersa *indicatione* inscripsi, & quae ipse luculenta locupletique *signorum*, imminentes morborum *solutiones criticas* iudicationesque *indicantium*, expositione curate persecutus sum, a me quoque *indicationis* in morbis *therapeuticae* potiores rationes expositas expectauerint, eosdem monitos volo, hunc qualemcunque laborem ab instituto meo fuisse alienum. Ceterum, si qua forte hic impari studio atque accuratione visa fuerint elaborata, non curam mihi voluntatemque, sed tempus defuisse, beneuoli sciant lectores.

S. D. G.

NOBI.





NOBILISSIMO EXIMIEQUE DOCTO  
CANDIDATO

S. P. D.

P R A E S E S.



*Tametsi haec occupatissimus scribo, & infinita me inpraesentiarum arctissime circumstant negotia, nequaquam tamen facere potui, quin in publica huius diei sollemnitate ad TE, amicissime BOECKING, nullas darem litteras, prolixam voluntatem erga TE meam & reliqua, quae a me expectari possunt, officiorum genera luculentissime significaturas. Quum enim meo usus fueris hospitio, egoque TIBI in absoluendo salutaris artis studio, quod in Ienensi Academia, ductoribus celeberrimi nominis viris, HAMBERGERO, KALTSCHMIDIO, STOCKIO, FAHSELIOQUE, maximo cum ardore exorsus eras, perpetuus adiutor testisque adfuerim, eo honorificentius & ad veritatem accommodatius meum de eximiis studiorum TVORVM successibus & admirabili morum probitate erit testimonium, quo certius novi, me hac in re omnes singulosque & Ienensis, & huius Academiae illustres excellentissimosque medicae artis doctores, quibus omnibus diligentiam probasti TVAM, prolixè adsentientes esse habiturum. Proinde iam pridem quoque nullo factum est modo, quin indies eo magis a me sis dilectus, quo ardentius in TE veritatis studium & incredibilem proficiendi ardorem quotidie intellexi. Quaecum ita sint, neutiquam mihi tempero, quin absolutos academicos annos, novosque, quibus merito ornaris, honores ingenio animi TIBI gratuler adfectu, TEQUE ex complexu meo abeuntem iis persequar votis, quae omnia felicitatis vitaeque*





*beatitudinis genera comprehendunt. Quod superest, in TVORVM, & inprimis OPTIMI PARENTIS, gaudium, plurimorum aegrotantium salutem atque emolumentum, & in TVAM ipsius felicitatem diutissime vale, suauissimam mei recordationem nunquam depositurus. Dedi Halae Magdeburgicae, d. III. Aprilis, MDCCLVII.*

---

PRAENOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO  
**DOMINO CANDIDATO**

S. P. D.

D. IOANN. PETR. EBERHARD,  
 MEDIC. PROF. PVBL. ORDIN.

**L**icet nuper iam, cum Dissertationem sub meo praesidio cum laude defenderes, publice declaraverim, quanti TE faciam, VIR DOCTISSIME! & quantum a TE expectare possit patria TVA: non possum tamen, quin TE hac quoque occasione denuo egregiae eruditionis specimen edentem, & summos in arte salutaris honores capeffentem, dimittam absque nova aliqua amoris erga TE mei significatione. Gratulor itaque TIBI honores doctorales, quos ob demonstratam diligentiam, & adeptam non vulgarem rerum medicarum cognitionem, diu iam mereris. Gratulor etiam optimo PATRI TVO, filium tam eruditum. Gratulor denique patriae TVAE virum, egregie ad solandos aegros instructum, quem ornameto ei olim futurum praeuideo. Vale, VIR DOCTISSIME, mihiqve faue. Dab. in Reg. Frider. d. V. Aprilis MDCCLVII.

VIRO





VIRO PRAENOBILISSIMO  
HUIUS DISSERTATIONIS AVCTORI  
DOCTISSIMO  
FAVTORI ET AMICO SVO AESTVMATISSIMO

S. P. D.

IOANNES FRIDERICVS STRVENSEE,  
MEDIC. DOCT.

**C**omplura profecto, AMICE OPTIME, & eruditionis  
& diligentiae in scientiis collocatae edis nobis spe-  
cimina; pluraque quam quotidie quidem viden-  
tur. Non enim solum inauguraliter, tanquam eruditio-  
nis & industriae praemium, hodie disputas; verum an-  
te aliquot dies etiam ex eodem loco, ex quo & hodie, do-  
ctissime differentem TE audiuius. Nunc, altera vice ca-  
thedram TIBI adscendenti, honores doctorales gratulor.  
Gratulor vero, non quia mos est, sed quia amicus verus,  
res amico faustas ac felices, eodem amplectitur animo,  
quam quidem suas; & eo magis, quo intimior arctiorque  
nostra fuerit amicitia, quoque adcuratius doctrinam sci-  
entiamque TVAM, in re medica adquisitam, cognitan-  
compertamque habuerim. Imbutus ergo hisce feliciter  
ad patrios reuerte lares, sis aegrotantium solamen, SPE-  
CTATISSIMAE TVAE FAMILIAE decus, & amicorum  
TVORVM amicus. Dabam Halae Magdeb. d. IV. April.  
MDCCLVII.





PRAENOBILISSIMO AC DOCTISSIMO  
**DOMINO DOCTORANDO**  
 AMICO SVO AESTVMATISSIMO

OMNIGENAM PRECATVR FELICITATEM

IOANNES GOTTFRIEDVS AB EXTER,  
 M. C. OPPONENS.

**Q**uod peculiari TVA amicitia, qua me Ienae iam amplexus es, etiam hic Halae dignari volueris, multis erga me amoris comprobasti testimoniis, quibus vero omnibus, cum opponentis prouinciam mihi demandare TIBI placuit, magnum adiecisti cumulum. Quare gratias TIBI, quas possum, persoluo maximas, & sinceris votis pro TVA salute adplaudo. I nunc, PRAENOBILISSIME DOMINE CANDIDATE, ascende crastino die cathedram, reporta victoriam, quam in antecessum TIBI gratulor, & accipe doctores honores ex merito capeffendos TEQUE iam expectantes. Faxit TE Summus rerum arbiter felicem & faustum ad patrios lares reducem. Secundet TVA in academicis annis cum laudabili diligentia acquisita studia, felici praxi, & omnibus TVIS coeptis prosperum largiatur euentum. Me vero & in posterum, quamuis absentem, amare baud desinas, TE obsecro. Vale, iterumque vale. Dabam Halae die V. April. MDCCVII.





Besäß ich Gellerts Geist: könt ich wie Haller singen:  
So solte Herk und Kiel verdiente Palmen bringen,  
Und durch ein festlich Lied den grünen Ruhm erhöhn,  
Da Winde voller Glück in Deine Seegel gehn,  
Da Meditrinens Winck Dich hin zu ihren Stufen,  
Und in ihr Heiligthum zu einen Arkt berufen.  
Doch da mir dieses Feuer zu einem Dichter fehlt,  
So schätze nur den Trieb, der meine Brust beseelt:  
Sieh' bloß auf meine Pflicht, und auf den guten Willen,  
So viel mir möglich ist, such ich sie zu erfüllen.  
Mein Herk, gelehrter Freund! das keine Falschheit keñt,  
Und das im Grunde haßt, was man sonst Schmeicheln  
nennt,  
Wünscht Dir das beste Glück, das, wie ein Morgen, lachet,  
Den der beblünte Lenk vergnügt und heiter machet.  
Ruft Dich des Krancken Mund um Trost und Hülfe an,  
Wenn er vor Schmerz und Angst kaum halb noch ath-  
men kan,  
Wenn in den heißen Blut ein brennend Feuer wühlet,  
Und seine Brust noch mehr als tausend Foltern fühlet,  
So zeige Deine Kunst und ihre Gründlichkeit,  
Daß ihn Dein muntre Fleiß von allem Schmerz befreyt,  
Und der genesne kömmt und für ein Leben danket,  
Das zwischen der Gefahr schon gleichsam hat gewancket.  
Run eile, theurer Freund! ins liebe Vaterland,  
Und mache Deinen Ruhm in seinen Schooß bekannt.  
Und wenn auch schon Dein Leib aus unsrer Flur gezogen,  
So sey doch stets mein Freund, und bleibe mir gewogen.

Durch dieses Denckmahl freundschaftlicher Gesinnun-  
gen, suchte sich das Andencken und die Freunds-  
chaft des Herrn Doktoranden gehorsamst auszu-  
bitten, ein aufrichtiger Freund

Friedrich August Gieblehr,  
aus dem Halberstädtischen, d. H. G. G. B.





PRAENOBILISSIMO,  
PRAECLARISSIMO ATQVE DOCTISSIMO  
**DOMINO DOCTORANDO**  
AMICO ATQVE CONTVBERNALI SVO OPTIMO

S. P. D.

IOANNES PHILIPPVS RAV,  
SPONHEMIO—MOSELLANVS, S.S., TH. CVLT.

**V**nusquisque sana ratione praeditus, qui sibi certum scopum proposuit, talia quoque media adhibeat, necesse est, quae ad talismodi scopum obtinendum sunt necessaria. Cum igitur, AMICE AESTVMATISSIME, hoc semper apud TE probe pensitaueris, nullum est dubium, quin tam propter eximias TVI animi dotes, quam ob indefessum TVVM studium ea omnia, quae ad artem TVAM salutarem pertinent, cui dedisti operam, acquisueris. Huius rei argumenta heic loci & alibi satis superque ostendisti, sed haec omnia recensere modestia TVA prohibet, & hodie iterum doctissimo eruditionis specimine ostendis. Accipias ergo etiam honores doctores, praemia virtutibus ac meritis TVIS dignissima. Ego autem sane partium mearum prorsus forem negligens, nisi hac occasione caeteris TIBI bona atque fausta applaudentibus me adiungerem. Gratulor itaque ex imo pectore de gradu & privilegiis doctoralibus breui consequendis. Gratulor splendidissimae TVAE FAMILIAE patriaeque nostrae Sponhemicae de emolumentis ex solidissima scientia & arte TVA impetrandis. Gratulor denique morbo laborantibus, qui consilio TVO utuntur. Summum Numen TE ad Nestoreos usque annos incolumem atque sospitem conseruet, consilia laboresque TVOS fortunet, donis suis TE cumulet & exitum TVVM ab omni parte reddat felicem. Caeterum autem amorem atque benevolentiam TVAM erga me, si promereri visus fuero, ita perpetua, ut recte cultae amicitiae memoriam nulla diuturnitas obliterare possit. Vale. Dabam Halae die V. Aprilis MDCCLVII.





PRAENOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO  
V I R O  
ARTIS SALVTARIS DOCTORANDO  
AMICO ET FAVTORI SVO  
SINGVLARITER AESTVMANDO,

S. P. D.

IO. PAVLVS FRIDERICVS KRÜGELSTEIN,  
GOTHANVS, M. C.

**N**ihil dulcius certe, nihil optatius mihi euenire potuit, quam quod mihi datum fuerit, TIBI, sub decursu studiorum TVORVM optime peractorum, pietatem, & amorem in TE meum (quem quidem quantum sit, optime scio) publice demonstrare atque ostendere. Omnes, qui TE norunt, assiduitatem TVAM, & feruorem in literas uno quasi profitentur ore, & quis quaeso, faciliori negotio illam diligentiam, qua semper fuisti conspicuus, penitus cognoscere potuit, quam quidem ego ipse, qui amicitia TVA (re mihi sane aestumatissima) usus sum, summa familiaritate TIBI coniunctus, qui in omnibus fere praelectionibus eruditissimorum Virorum, quos audiui, TVI comes exstiti. Laetor itaque ex animo de gloria cui mox accipiendae obuiam is. Laetor de commodis, quae olim ex TE in patriam TVAM, & omnes illos, qui TVVM auxilium expetent, redundabunt. Deus Ter Optimus maximus seruet TE sartum tectumque. Seruet TE Patriae TVAE, seruet denique mihi Amicum & Fautorem nullo non tempore omni pietatis & amicitiae cultu prosequendum. Vale. Dabam Halae Salicae, d. VI. April. MDCCLVII.

Endlich blüht die volle Rose,  
Wenn der laue Frühling lacht;  
Da der Duft aus ihrem Schoße  
Luft und Morgen schwanger macht,

Daß





Daß in Gärten und Gefilden  
Sich die sorgenlosen Matten mit verjüngter Anmuth bilden.

Endlich siegt der kühne Enfer  
Den Minerva eingeprägt,  
Und macht Muth und Hofnung reifer  
Bis er güldne Früchte trägt  
Und sich zu den Sternen schwinget,  
Und, auf Flügeln später Ehre, in die Ewigkeiten bringet.

Endlich seyn auch meine Blicke,  
Wie Dich Meditrinens Hand  
Mit verdienten Epheu schmücke.  
Lächelnd winckt das Vaterland,  
Stolz auf seines Sohnes Ehre,  
Daß er durch beglückte Euren seiner Bürger Wohl vermehre.

Endlich können Dich die Deinen  
Bald in ihrem Schoße sehn;  
Festlich wird der Tag erscheinen:  
Festlich wird sein Licht vergehn.  
Wunsch und Hofnung wird nun lachen  
Und Dich, an der Eltern Busen, glücklich und zufrieden machen.

Endlich und zulezt erlaube,  
Daß kein Zufall oder Zeit  
Dir mein Angedencken raube.  
Reizend war die Zärtlichkeit  
Die die Freundschaft in uns legte.  
Ach! wenn nur Dein Scheiden bey mir nicht so bittern Schmerz  
erregte.

Dieses Unterpfand freundschaftlicher Gesinnungen  
bittet mit derjenigen Regung anzunehmen, mit  
der es niedergeschrieben hat, des Hrn. Doctoran-  
den bereitwilligster Freund und Diener,

**Johann Andreas Wilhelm Büchner,**  
aus dem Thüringischen, d. A. G. B.

